

# **Landesbibliothek Oldenburg**

## **Digitalisierung von Drucken**

### **Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum**

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.  
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus  
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot  
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

**Chemnitz, Martin  
Leyser, Polycarp  
Gerhard, Johann**

**Hamburgi, MDCCIII**

**VD18 90617681**

Caput CXIX. Continens Historiam Sanati Hydropici Sabbato, In Domo  
Principis Pharisæorum, Cum Aliis Quibusdam Concionibus. Luc. 14. vers.  
1.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18203**

## CAPUT CXIX.

CONTINENS HISTORIAM SANATI HYDROPI-  
CI SABBATO, IN DOMO PRINCIPIS PHARISÆO-  
RUM, CUM ALIIS QUIBUSDAM CONCIONIBUS.

LUC. 14. vers. 1.

## RATIO ORDINIS.

**D**E ordine non opus est hic multum disputare, nos simpliciter Lucam sequemur, donec Evangelistæ narrationes suas iterum conjungant. Pergit enim Lucas Phariseorum technas ulterius commemorare, & quomodo Dominus vicissim ipsorum perversa judicia, ambitionem, malos mores taxarit, & simul ad vitæ æternæ desiderium inducere voluerit. Dubium autem est, utrum in Peræa adhuc, an vero in

Judæa hæc historia acciderit. Ego puto eam factam esse in Peræa. Fieri enim potuit, ut monitionem illam mox sabbatum secutum sit, in quo Christo & Apostolis ex Legis præscripto non licuisset iter facere. Pharisei ergo, prout quævis & simulare & dissimulare poterant, cum in sabbato ad prandium invitant, sperantes se hoc facto benevolentiam ipsam decipere posse, ne putet monitionem præcedentem ex subdolo corde profectam esse.

CONVIVIVM APUD PHARISÆUM, ET SANATIO  
HYDROPICI IN SABBATO.

LUC. 14.

1. Καὶ ἐβόητο ἐν τῷ εἰσεῖν αὐτὸν εἰς οἶκόν τινα τῶν δεχόντων τῶν Φαρισαίων αἰσβάτω φαγεῖν ἄρτον, καὶ αὐτοὶ ἦσαν παρατηρέμενοι αὐτῷ.
2. Καὶ ἰδὲ ἀνδρῶπις τις ἰὼ υδροπικὸς ἐμπροσθεν αὐτοῦ.
3. Καὶ ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς εἶπε πρὸς τοὺς νομικοὺς καὶ Φαρισαίους, λέγων, εἰ ἐστὶν ἐν τῷ σαββάτῳ θεραπεύειν;
4. Οἱ δὲ ἠκούσαντες, καὶ ὑπελάθοντες ἰδοῦντο αὐτὸν, καὶ ἀπέλυσε.
5. Καὶ ἀποκριθεὶς πρὸς αὐτοὺς εἶπε· τίνος ὑμῶν ὄντιον ἢ βοῦς εἰς φρέαρ ἐμπεσέτω, καὶ ἐκ εὐθείας ἀνασπάσει αὐτὸν ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῷ σαββάτῳ;
6. Καὶ ἐκ ἰσχύου ἀπακριθῆναι αὐτῷ πρὸς ταῦτα.
7. Ἐλεγε δὲ πρὸς τοὺς κεκλημένους παραβολῶν, ἐπέχων, πῶς τοὺς πρωτοκλισίας ἐξελέγοντο, λέγων πρὸς αὐτούς·
8. Ὅταν κληθῆς ὑπό τινος εἰς γάμους, μὴ κατακλιθῆς εἰς τὸν πρωτοκλισίαν, μηποτέ ἐντιμωτέρος σε ἢ κεκλημένον ὑπό αὐτοῦ.
9. Καὶ εἰθῶν ὁ σὲ καὶ αὐτὸν καλέσας, ἐρεῖ σοι, δὸς τὸν ῥῆπον, καὶ τότε ἀρξή μετ' ἐσχίστης τῶν ἐσχίστων ῥῆπον κατέχειν.
10. Ἀλλ' ὅταν κληθῆς, προειθεὶς ἀνάπεσον εἰς τὸν ἐσχίστων ῥῆπον, ἵνα ὅταν εἴθῃ ὁ κεκληκώς σε, εἶπῃ σοι· φίλε, ἀπερσηνάθηθι ἀνώτερον, τότε ἔσται σοι δόξα ἐνώπιον τῶν συνακακούμενων σοι.
11. Ὅτι πᾶς ὁ ἐψῶν ἐαυτὸν πεπειωθήσεται, καὶ ὁ πεπειωὸν ἐαυτὸν ἐψῶθήσεται.
12. Ἐλεγε δὲ καὶ τῷ κεκληκῶτι αὐτὸν, ὅταν ποιῆς ἄριστον ἢ δείπνον, μὴ φωνεῖς τοὺς φίλους σε, μηδὲ τοὺς ἀδελφούς σε, μηδὲ τοὺς συγγενεῖς σε, μηδὲ γείτονας πλοσίας, μηποτέ καὶ αὐτοὶ σε ἀντικαλέσωσι, καὶ γνηθῆναι σοι ἀνταπόδομα.
13. Ἀλλ' ὅταν ποιῆς δόχλιον, καλεῖ πτωχοὺς, ἀναπήρους, χωλοὺς, τυφλοὺς.
14. Καὶ μακάριον ἔσθι, ὅτι ἐκ ἔχουσιν ἀνταποδοθῆναι σοι. ἀνταποδοθήσεται γὰρ σοι ἐν τῇ ἀναστάσει τῶν δικαίων.

1. Et accidit, ut introiret in domum cujusdam principis Phariseorum sabbato, ad edendum panem, & ipsi observabant eum.
2. Et ecce homo quidam hydropticus erat ante illum.
3. Et respondens Jesus dixit ad Legisperitos & Phariseos dicens: Num licet sabbato sanare?
4. At illi acuerunt: Ipse vero apprehensum sanavit eum, ac dimisit.
5. Et respondens ad illos, dixit: Cujus vestrum asinus aut bos in puteum cadet, & non continuo extrahet illum die sabbati?
6. Et non poterant ad hæc respondere illi.
7. Dicebat autem ad invitatos parabolam, intendens, quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos:
8. Cum invitatus fueris ab aliquo ad nuptias ne accubas in primo loco, ne quando honoratior te sit invitatus ab illo.
9. Et veniens is qui te & illum vocavit, dicat tibi: Da huic locum, & tunc incipiat cum rubore extremum locum tenere.
10. Quin potius cum vocatus fueris, vade, accumbe in novissimo loco, ut cum venerit qui te invitavit, dicat tibi: Amice, ascende superius, tunc erit tibi gloria comam simul discumbentibus.
11. Quia omnis qui se extollit deicietur. Et qui se dejicit, extolletur.
12. Dicebat autem & ei qui se invitaverat: Cum facis prandium aut cenam, noli vocare amicos tuos, neq; fratres tuos, neq; cognatos tuos, neq; vicinos divites, ne quando & ipsi te vicissim invitent, ac rependatur tibi beneficium.
13. Imo cum facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos, cæcos.
14. Et beatus eris, quia non possunt rependere tibi. Respondetur enim tibi in resurrectione justorum.

15. Ἀκού-

15. Ἀκούσας δὲ τῆς συνανακειμένων τῶντα, εἶπεν αὐτῷ μακάριος, ὃς φάσκει ἀρτον ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ Θεοῦ.
16. Ὁ δὲ εἶπεν αὐτῷ· ἀνθρώπος τις ἐπίσθιος δειπνῶν μέγα, καὶ ἐκάλεσε πολλούς.
17. Καὶ ἀπέστειλε τὸ δούλον αὐτῷ τῇ ὥρᾳ τῆς δείπνου, εἰπεῖν τοῖς κεκλημένοις, ἔρχεσθε, ὅτι ἤδη ἐτοιμάσθη πάντα.
18. Καὶ ἤρξαντο ὅσοι μὴ εὐρανοῦ εἶδον πάντες, ὁ πρῶτος δὲ εἶπεν αὐτῷ· ἀρχὸν ἤγάρα, καὶ ἐχῶ ἀνάγκη κλυ ἐξελθεῖν, ἵνα ἴδω αὐτὸν, ἔρωτά σε, ἔχει με παρητημένον.
19. Καὶ ἐπεὶ εἶπε· ζεύγη βοῶν ἤγάρασα πέντε, καὶ πρῶτος μου δοκιμάσαι αὐτά, ἔρωτά σε, ἔχει με παρητημένον.
20. Καὶ ἐπεὶ εἶπε· γυναῖκα ἔγημα, καὶ διὰ τὸτο εἶ δύναμαι εἰσελθεῖν.
21. Καὶ ἀπεστράφη ὁ δούλος, ἀπήγγελε τῷ κυρίῳ αὐτῶν πάντα. τότε ὀργισθεὶς ὁ οἰκοδεσπότης, εἶπε τῷ δούλῳ αὐτῷ, ἐξελθε ταχέως εἰς τὰς πόλεις ταύτας καὶ κώμας τῆς πόλεως, καὶ τὰς πτωχούς καὶ ἀλαλήτους καὶ χωλούς καὶ τυφλοὺς εἰσαγαγε ἕδω.
22. Καὶ εἶπεν ὁ δούλος· κύριε, προζῶν ὡς ἐπέταξας καὶ ἐπὶ τῶν ἐστίν.
23. Καὶ εἶπεν ὁ κύριος πρὸς τὸν δούλον· ἐξελθε εἰς τὰς πόλεις, καὶ φραγμούς, καὶ ἀνάγκασον εἰσελθεῖν, ἵνα γεματῇ ἡ οἰκὸς μου.
24. Λέγω ὑμῖν, ὅτι ἕδω τῶν ἀνθρώπων ἐκείνων τῶν κεκλημένων γενησεται μετὰ τῆς δείπνου.
15. Hec cum audisset quidam de simul accumbentibus, dixit illi: Beatus, qui edet panem in regno Dei.
16. At ipse dixit ei: Homo quidam paravit cenam magnam, et vocavit multos.
17. Et dimisit servum suum horn cenae, ut diceret invitatis: Venite, quia jam parata sunt omnia.
18. Et ceperunt simul omnes excusare. Primus dixit ei: Villam emi, et necesse est mihi exire, et videre illam, rogo te, habe me excusatum.
19. Et alter dixit: Juga bouum emi quinque, et eo ad probandum illa, rogo te, habe me excusatum.
20. Et alius dixit: Uxorem duxi, et ideo non possum venire.
21. At reversus servus, renunciavit Domino suo haec. Tunc iratus paterfamilias, dixit servo suo: Exi cito in plateas et vicus civitatis, et pauperes ac debiles, claudosque, et caecos introduc huc.
22. Et ait servus: Domine, factam est, ut imperasti, et adhuc locus est.
23. Et ait dominus servo: Exi in vias et sepes, et compelle intrare, ut impleatur domus mea.
24. Dico enim vobis, quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cenam meam.

## Periocha huius Historia.

**I** Primum membrum in hac historia observandum hoc est, quod Christus die sabbati accedit ad edendum panem, hoc est, ad convivium in aedibus principis Phariseorum. Hunc enim morem Judaei tum temporis observabant, quod diebus sabbati ingrediebantur suas synagogas, ibi orabant, psallebant, Mosen & Prophetas legebant, suaque sacra peragebant. Has occasiones Christus non neglexit, sed & ipse synagogas ingressus est, ibique docuit. Finito Dei cultu, solebant amici convenire, inter se agitare convivia, & partes etiam mittere egentioribus, sive his, qui non preparaverant. Sicuti videre est Neh. 8. v. 10. & Tob. 2. v. 1. Secundum constitutionem itaque illam quodam sabbato peractis sacris, princeps quidam sacerdotum invitat Jesum ad prandium, & hic comparet. Sic vero Christus suo exemplo docet honesta convivia diebus feriatis non esse damnanda. Legimus autem in sacris de diversis conviviis, quisque viderit qualia instituat. 1. Si quis invitat peregrinos, ignotos vel etiam egenos, sicuti fecit Abraham, Gen. 18. v. 3. ille inligne praestat opus charitatis. Unde Epistola ad Hebraeos 13. vers. 2. dicit: Hospitalitatem nolite oblivisci. per hanc enim quidam angelos hospitio exceperunt. Et Christus in sequentibus huic hospiti dicit, si pareat convivium, ut invitet pauperes, debiles, claudos, caecos, tum beatum ipsum futurum. 2. Non tamen propterea plane prohibitum est, cognatos & amicos invitare. Sic enim Abrahamus Gen. 21. 8. instituit convivium magnum in die ablactationis Isaac. Filii quoque Jobi convivia ordinaria inter se agitabant, & sorores suas ad illa vo-

cabant. Verum quia inter familiares facilius & liberius peccatur, Job eos sequenti die per oblationem victimarum sanctificabat, Job. 1. v. 4. Et in hujusmodi conviviis duo potissimum spectantur. 1. Honesta recreatio. 2. Amicitiae plantatio: etiam spiritualis. Sicuti Christus propterea divertit ad Matthaeum, Matth. 9. v. 10. ut publicanos & peccatores converteret. Item ad Zachaeum Luc. 19. v. 7. Si vero excessus in ejusmodi conviviis accedat, ut factum est in tonsura gregis Nabalis, 1. Samuel. 24. v. 36. & in temulento epulo Belshazzaris, Dan. 5. v. 2. aut quando observantur convivia ad calumniam, sicut hic factum est: aut etiam ad necem aliqui quaruntur, prout fecit Absalon suo fratri Ammoni. 2. Sam. 13. v. 28. tum sunt talia convivia abominatio coram Deo. Nam etiam cum ipsa rerum natura pugnant: siquidem convivium a vita non a morte nomen habet. Ex his paucis Christianus facile intelliget, quid sit civivis concessum, & in quo tum Deo tum hominibus gratum faciat. Sed haec, ut videntur, sunt vulgaria: illud autem est peculiare, quod introiit in domum cujusdam principis Phariseorum. Nam quinam Pharisei fuerint, novimus. Baptista eos vocat vipers, & passim re ipsa commonstrarunt, quod sint hostes Christi ipsiusque Evangelii. Quod ad convivium Matthaei, Simonis leprosi, Lazari & Zachaei accessit, non est mirum; quia illi ipsius fuerunt amici & fautores. Sed Pharisei ipsum vocarunt bibulum, ut qui nimis frequenter convivia adiret. Hic ipsum observant, an in sermone vel moribus aliquid deprehenderent, quod carpere possent. Et hoc fit apud Principem Phariseorum, hoc

hoc est, apud ejusmodi, qui inter reliquos versipelles quadruplatores facile primas obtinere potuit. Certe Paulus talem conversationem improbat. Nam Corinthiis suis scribit: 1. Corinth. 5. v. 12. Scripsi vobis non commiseri; Si is, qui frater nominatur inter vos, est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebrius, aut rapax, cum ejusmodi nec cibum sumere. Et 2. Thess. 3. v. 14. vetat, ne cum quocumque commisceamur, qui verbo Evangelii non obediat. Johannes quoque vult, ne ave quidem dici iis, qui eandem Evangelii doctrinam non afferant. 2. Johan. v. 10. Num igitur Christus & Apostoli sibi invicem in hoc articulo sunt contrarii? Quod nequaquam statuendum est. Et tamen est quaestio non contemnenda; in qua interdum constricta conscientia informatione indigent, ne quid in consimili casu agant, quo se ipsos gravent. Attendendum itaque quod D. Paulus distincte agat, & Christianos doceat, agere ipsos in hoc mundo quasi duplicem vitam. Unam Ecclesiasticam & spiritualementem, juxta suum Christianismum in doctrina, fide, precibus, sacramentis & similibus. Et juxta hanc Christus se suosque segregavit à Pharisæis. Neque enim solus Johannes eos vocavit progeniem viperarum, Matth. 3. v. 7. Sed & ipse Christus generationem pravam & adulteram, Matth. 12. v. 39. Cæcos & duces cæcorum, Matth. 15. v. 14. hypocritas, Luc. 13. v. 14. Alteram politicam & externam, in quotidiana conversatione cum hominibus, quo ad cibum, potum, emtiones, venditiones, & alios congressus. De hac vita apte Paulus pronunciat, si Christiani cum meris sanctis conversari vellent, tum è mundo ipsis exeundum fore. 2. Diligenter etiam hoc attendendum, quod Christus non appetit ipsorum conversationem & quadras, non currit post ipsos, ut eorum quærat dapes, sed ipsi eum invitant, ibi Christus non est adeo inhumanus & austerus, ut benevolam conversationem ipsis denegat. Et licet non ignoret, quod ipsum observaturi sint, eumque hoc sine invitent, quod cogitarunt, hic Jesus multa coram populo publice in nobis desiderat, sæpe nos arguit, attendamus, an etiam privatim eadem nobis in os & faciem dicere ausit; tamen invitatus accedit, ut ostendat, se non reformidare, quo minus eadem ipsis coram indicet, imo occasionem quærit, ut utiles & necessarias doctrinas ipsis proponat. Vult igitur quasi dicere: non taxabo vestros errores & mores tantum quando solus sum cum meis, sed etiam quando me observatis: sermo enim veritatis simplex & planus est, & potest corycæos atque observatores tolerare. 3. Tandiu etiam Christus cum ipsis conversatus est, quamdiu ipsum audiebant, interrogabant, nec se manifestos hostes esse declarabant. Quia enim venit quærere id, quod perit; ideo etiam perditos Pharisæos quæsit. Nec tantum acerbe eos arguit, sed etiam blande & humaniter eos in conviviis & colloquiis tractavit, atque sic aliquos lucrificavit, inter quos Nicodemus non postremus fuit. Hoc sine adiit etiã publicanorum convivia, ut illos ad veram pœnitentiam adduceret. Postquam autem de Pharisæis fuit desperatum, non amplius ipsorum convivia adiit, sed horrendum vix ipsis denunciavit, atque sic etiam illud Tit. 3. v. 10. hæreticum hominem post unam

atque alteram correptionem devota. 4. In ipso denique convivio Christus non ita se gerit, ut omnia probet, quæcumque dicerentur vel agerentur: non simulat, quasi omnia placerent: non etiam loquitur de rebus alienis & peregrinis, atque interim tacet de sua religione, sed in ipso convivio ingenuam edit confessionem, taxat ipsorum ingenuam de sabbatho, ambitionem in eligenda *τοιαῦτα* *ἡδύπια*, docet, quicumque sint invitandi, & in primis ipsis in aures ingerit, quod regno cælorum mundana præferant, ac proinde ex illo excludendi sint. Sic nimirum ipsi mature hujus convivæ pertæsi, non amplius postea ipsum invitarunt. Ex his quisque colligere potest, quatenus cum alterius religionis hominibus sit conversandum, ne quis inde justam offendiculi ansam arripiat.

II. Secundum membrum Pharisæi hujus convivii est miraculosa sanatio hydropici: Etsi enim Christus præmittat quaestionem: *Nim licet sabbatho sanare?* tamen quia ad eam demum post peractum miraculum ipse respondet, eo ipsam refervabimus. Ipsum vero hoc miraculum de bonitate & potentia Christi idem docet, quod reliqua omnia. Nihilominus tamen sicuti fere singula miracula aliquid peculiare habent à reliquis diversum: ita etiam hoc miraculum sanati hydropici. Quod nomen est illud? Hoc, quod non petit sanari, sed tantum *erat ante illum*, hoc est, vel adibat, vel assidebat, vel decumbebat, & tacebat.

In Evangelio de multis agris legimus, quibus Christus subvenit; sed illi ejus opem vel ipsi implorarunt, vel alii pro ipsis intercesserunt. Regulus Johan. 4. v. 47. de Capernaum descendit in Canan, & Jesum rogat pro filio, ut eum sanet. Luc. 7. v. 13. Vidua Naimitica flet. Ibidem vers. 38. Maria Magdalena pedes Jesu rigat lachrymis. Matth. 15. v. 22. mulier Chananaea & clamat post Christum, & sequitur eum, nec orando desistit, donec exaudiat. Luc. 17. v. 13. decem leprosi levant vocem suam, & dicunt: Jesu præceptor miserere nostri. Luc. 18. v. 38. Cæcus quoque fortiter clamat; Jesu fili David, miserere mei. Pro hoc hydropico autem nemo intercedit, & ipse tacet, nec verbum quidem loquitur? Cur hoc facit? Num non habuit os & linguam? Ad hoc respondet Johannes 1. Epist. 3. v. 21. Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quicquid petierimus, accipiemus ab eo. Sed quando proprium cor nos accusat, tunc cum Jobe digitum apponimus ori. Exemplum habemus in Davide, dum is pius fuit, ambulavit viam mandatorum Domini, bone Deus! quam fiducialiter clamat ad Dominum, Domine judica causam meam. Sed postquam cum Bechabaa in homicidium & adulterium prolapsus est, & Dominus occidit filium ex adulterio natum, & per proprium filium Absolonem eum ex regno suo pellit, quam patiens est? quomodo silet? & cum Simeï subditus ei malediceret, atque Abisai ejus caput amputare veller, David eum prohibuit, addens, Dominum præcepisse ut malediceret David. Sic apud hunc hydropicum propria conscientia obstitit, ne clamaret. Etsi enim hydrops etiam alias causas habere potest, ut etiam temperantissime viventes eo laborare possint, tamen communiter, & ut plurimum oritur ex inordinata vita,

vita, quando homines gula inhiant, ventriculum nimium onerant, & reliqua viscera interiora debilitant. Idem etiam absque dubio huic hydropico accidit, ut cogitarit: cæci sane fiducialiter clamare possunt, quia visum inviti amiserunt, ego si temperanter vixissem, non haberem sic tumentes pedes, & ventrem, quapropter silebo, ne circumstantes insuper me rideant. Sic etiam populus Dei Thren. 3. v. 29. cum inique egisset, & Deum ad iracundiam provocasset, vult os suum in pulvere ponere, si forte Dominus etiam silentis miseretur. Et Mich. 7. v. 8. Ne lateris inimica super me, quia cecidi. Iram Domini portabo, quoniam peccavi illi, donec causam meam iudicet, & faciat iudicium meum. Sic hic hydropicus cum silentio præsolatus est salutare Domini, Thren. 3. v. 26. Magnum etiam solatium accedit miseris, si videant alios ipsi condolare, & pro ipsis intercedere, ut auxilium ipsis feratur: Tum enim spem bonam concipiunt, futurum, ut, si maxime ipsi indigni videantur, aliorum tamen favore subleventur. Sic Luc. 4. v. 38. Johannes, Jacobus & Petrus intercedunt pro socio Petri febricitante. Matth. 8. v. 6. Centurio pro servo paralytico. Matth. 9. v. 18. Jairus pro filia. Matth. 15. v. 23. discipuli pro Cananæa muliere. Matth. 17. v. 15. Pater Lunatici pro filio. Johan. 11. v. 3. Martha & Maria pro Lazaro. Sed pro misero hoc hydropico nemo est, qui intercedat, nullus Phariseorum dicit, est miserabilis persona, mi Jesu, adjuva ipsum. Quinimo cum Jesus ipse occasionem ipsum sanandi quæreret, & interrogaret, num sabbatho sanare liceret, *ipsi tacuerunt*. Sicuti etiam alias interrogati tacere soliti erant; Nam si dixissent licere, pugnasent cum propriis suis observationibus, si vero dixissent non licere, metuerunt Christi reprehensionem. Ergo tacuerunt.

Quid vero Christus? non austeris verbis ipsum excipit, vel increpat durius, dicendo, fatis diu lucrando & heluando laborasti, ut *σοφιστίας* & hydropem tibi attraheres; Jam igitur prout voluisti, sic habes. Sed quia videt cor ipsum morbo contritum & humiliatum, quod sacrificium Deo est gratissimum Psal. 51. v. 19. ideo illud non despicit. Sed licet sciat Phariseos se *observare*: tamen mox in primo ingressu *respondens dixit*. Cui quæso Dominus hic respondit, cum nemo ipsum interrogavit? Ipsius hydropici tacitis cogitationibus & gemitibus, qui licet palam rogare vel clamare ausus non fuit, occultus tamen suspiriis sanitationem exoptavit. Quia igitur Christus est ille Dominus, qui homines exaudit de profundis, & qui antequam clamet, exaudit; Esa. 65, 24. ideo ad ipsius cogitationes respondet, *an liceat sanare sabbatho?* Et quia Pharisei, qui omnium Magistri esse volebant, silebant, ipse mox in ingressu adhuc ante prandium accedit, *apprehendit, sanat, & dimittit eum*. His tribus verbis sic conjunctim positis, & facilitas sanationis indicatur, & quod absque mora Christus hoc eximum beneficium in miserum istum hominem contulerit: Nam bis dat, qui cito dat. Sanatum *dimisit*, non secum detinuit ostentationis causa, nec sibi ad servitium relervavit, sed ad suos dimisit. Hæc omnia sunt consolatione plenissima, ut sciamus, qualem salvatorem habeamus in Christo Jesu, nimirum, qui non tantum nobis suppetias fert, quan-

do inviti incidimus in adversitates, aut quando alii suis supplicationibus & intercessionibus nos juvant: sed etiam quando ipsi nostra culpa & nostris peccatis adversa nobis attraximus, & quando nemo hominum est, qui commiseratione nostri ducitur, vel pro nobis orat, tum Christus, modo penitentiam agamus, nostri misericordia movetur, & quasi dolet, quod in nostris miseriis nullam consolationem atque condolentiam habeamus, atque eo citius juvat. Ipse enim Deus est & non homo, cuius cor intra se convertitur, & pariter omnia ejus viscera perturbantur, ut furorem iræ suæ facere non possit, sed succurrat. Ose. 11. v. 9. sic nimirum ostendit, quomodo calamum quassatum non confringat, & linum fumigans non extinguat, Esa. 42. v. 3. Matth. 12. v. 20. siquidem non succurrat tantum firmis fide, sed etiam languidis. Ideo D. Hieronymus pie alicubi dixit: sæpius legimus in Evangelio, fiat tibi sicuti credis. Ego non optarim semper illud mihi dici: Nam si à Deo non plus acciperemus, quam quantum ipsi fidimus, male nobiscum ageretur. Ideo Paulus Deum longe liberaliorem describit, Eph. 3. v. 20. quod potens sit facere abundanter ultra id, quod petimus aut intelligimus. Idem præfens exemplum docet. Quapropter diligenter caveamus, ne intemperantia, crapula, vel aliis peccatis, spontanea mala & morbos nobis attrahamus. Si tamen id factum sit, & cum acola sto omnem nostram substantiam dissipavimus, ita ut nobis debeatur consilio faciei. Quid faciemus? non propterea animum despondeamus, sed cogitemus, Deus sane legem promulgavit, ut à peccatis abstinere, & si legem non audiemus, crucem mittet, non ut ab ipso nos avertamus, sed ut penitentiam agamus & convertamur ad percutientem nos, Esa. 9. v. 13. Ideo cogitemus, imitabimur hydropicum, & nos sistamus salvatori nostro Jesu Christo, non in ædibus pharisæi, sed in confessione & Sacramentis. Scientes, ipsum non tantum *ἀκούσι* mala, in quæ quis ex ignorantia incidit: sed etiam *ἐκείνη* & spontanea curare. Quid, An non Adamus ipse sciens peccavit? Et tamen servator ipsi datus est. Ah, ubi maneremus, si tantum ignorantias ignoscere vellet? Idcirco lapsi nos ipsi sistamus, non nos deseret, sed consolatione & auxilio nobis succurret. Hydropicus sic typum gerit torius generis humani, & in genere omnium peccatorum. Hydrops ut plurimum oritur ex inordinata diæta, quando nimio cibo & potu ventriculus ita distenditur, ut recepta non amplius concoquere possit. Sic peccatum in mundum introductum est ex inordinata diæta Adæ & Evæ primorum nostrorum parentum, qui comederunt de arbore vetita, Gen. 3. v. 6. & iniquitatem biberunt tanquam aquam, Job. 15. v. 16. Quando etiam hydrops hominem occupat, tum ejus sanguinem & humores, adeoque totum ipsius habitum sic immutat, ut totus alius factus videatur, nec priorem hominem amplius referat. Sic peccatum totum hominem immutavit & corrumpit, ut nequam amplius sibi similis sit. Divinam illam imaginem concreatam exstinxit, ut nec mente sapiat, nec voluntate se Domino subiciat, nec ullæ vires in ipso reperiantur, quæ non sint à Deo creatore averfæ. Hydrops morbus hanc etiam habet proprietatem, quod, licet venter hydropici præ aqua disten-

distendatur, & totum corpus ob abundantiam aquæ tumeat, tamen ager perpetua siti laborat, & identidem plus aquæ potusque ingurgitare cupiat. Ut nimis vere de hydropicis dictum sit: Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ. Eadem est ratio singulorum peccatorum, quibus unus aut alter hominum deditus est. Avarus, qui semel cor apposuit divitiis, quo plus nummorum corrasit, eo plures appetit: Crescit enim amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit. Sic avaro tam deest, quod habet, quam quod non habet. Sic, qui semel libidini se dedit, nisi mox primis principiis obstet, & caveat, ne flammæ inordinati amoris hepar corrumpant, in ejusmodi profunditatem luxuriæ incidit, ut omnia lupanaria percurrat, nec fatiari queat. Ebrietatis vitium eandem habet qualitatem, quod experiuntur illi, qui habitum in lurcandō & potando contraxerunt. Illi vel tandem potationum pertæsi, interdum optarent, ut à nimio vini usu abstinere possent; Sed quando vitia in mores transferunt, remediis difficulter locus invenitur; Unde quidam cum jactura valetudinis vitium illud contractum mutare coguntur. Sic superbi inani tument fastu, ex *Philavria* & corrupto de seipso iudicio orto. Hi, quo plus gloriæ inter homines consequuntur, eo ardentiore siti altius ascendendi & emergendi laborant. Idem de omnibus aliis vitiiis dici potest. Porro quemadmodum hydrops, ubi vires acquisivit, inter incurabiles morbos refertur (Hydrops, Quartana Medicorum scandala plana) & tandem hominem in mortem præcipitat, nisi per Dei gratiam media sanationis inveniatur. Sic peccati stipendium mors est; Et nisi adhuc in hac vita medium sanationis adhibeatur, præcipitat hominem in æternam mortem, & in infernum inferiorem. Sanationis autem modus optimus hic est, ut hydropicus vitiiis laborans in sabbatho se offerat conspectui Christi, otietur à malis suis operibus, ingrediatur templum, audiat verbum Dei, desideret ab ipso sanari, agnoscat sua vitia, eadem confiteatur, absolutionem petat, & adeat mensam Domini, ut à Christo tangatur & apprehendatur, sicque sanetur. Hæc media qui negligit, seque à conspectu Christi subducit, ille sanitatem nunquam recipiet.

III. Tertium membrum Pharisaici hujus convivii est doctrina de sabbatho. *Num liceat sabbatho sanare?* Hæc quæstio sæpius in Harmonia est tractata, ac proinde eo brevius nunc nos expediemus. 1. Matth. 12. v. 2. Cum Jesus Hierosolyma discederet, & discipuli in via spicas vellicarent, & comederent. 2. Ibidem v. 10. in Synagoga cum manum aridam sanaret. 3. Joan. 5. v. 10. cum sanasset paralyticum triginta octo annos decumbentem. 4. Luc. 13. v. 14. cum sanasset anum, quæ octodecim annos curva ingressa erat. 5. Joan. 9. v. 14. cum sanasset cæcum natum luto ipsius oculis illito, & in natatoria Siloe abluto. Hic jam sexto loco eadem quæstio inter Christum & Phariseos tractatur. Debet autem etiam inter Christianos vigere hæc quæstio: quid sabbato facere liceat & deceat, ne cum Judæis sabbatum vel prophaneus, vel in superstitionem commutemus. Si ergo sacras literas consulamus, hæc potissimum in sabbatho facienda invenimus.

1. Deus honestam injunxit quietem, ut non tantum pater familias cum liberis & tota familia absti-

neat à mechanicis & manuariis suis operibus, sed etiam jumentorum aliqua habeatur ratio. Habemus sex dies, in quibus satis laborari potest, qui diligens esse velit. Sed quidam sabbatho laborant, & postea per integram septimanam ferias sibi sumunt. 2. Sabbatho verbum Dei est audiendum, sic Judæi singulis sabbathis legebant Mosen & Prophetas, Act. 15. v. 21. Christus quoque ipse hunc morem observavit Luc. 4. v. 16. in sua patria, ut & alibi. Paulus etiam in Actis in sabbatho accessit conventus hominum. Sicuti Act. 16. v. 33. Lydia purpuraria in sabbatho conversa est. 3. In sabbatho etiam exercendus est usus Sacramentorum, ut per illa cum Deo reconciliemur, ut per illa cum Deo reconciliemur, quanto ergo sæpius in septimana. Itaq; ad templum properandum, ut ibi Deo peccata nostra confiteamur, consideremus passionem, mortem & resurrectionem Christi, ex his consolationem hauriamus, & lætam etiam peccatorum absolutionem audiamus. Judæi hoc fecerunt typice, quando die sabbathi agnos, vitulos, hircum & alia obtulerunt, tanquam figuras & umbras Christi: quanto magis nos id facere debemus, qui habemus Christi corpus? Coll. 2. v. 17. 4. Eodem die nos exercere debemus in operibus misericordiæ. Sicuti passim Christus die sabbathi multos ægros sanavit, & hydropicum, ubi simul à Minori ad Majus docet hujusmodi operibus non prophane sabbatum. Ideo dicit Phariseis: *Cujus vestrum asinus aut bos in puteum cades, & non contrinio, scias & funes adhibebit, ut extrahat illum die sabbati?* Admodum convenienter, Augustino teste, Christus hydropicum confert ejusmodi in puteum prolapsus, in quo aquis submergendum esset, nisi extraheretur: sic hydropicus aqua inter cute vel tandem suffocatur nisi à morbo liberetur. Hic ergo liberatus est die sabbathi, in testimonium, quod opera misericordiæ sabbatho sint exercenda. Frange esurienti panem tuum, (dicit Esa. 58. v. 7.) & egenos vagosque introduce in domum tuam, cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris: Et vocabitur sabbathum delicatum, sabbatum sanctum, domini gloriosum. Sic Paulus 1. Cor. 16. v. 2 ordinavit, ut in sabbatho collectæ instituerentur pro pauperibus. Majores nostri die sabbathi visitarunt hospitalia, pauperibus erogarunt eleemosynas, & consimilia opera caritatis exercuerunt. 5. Inprimis in sabbatho nos ipsos commonefacere debemus sabbathi vitæ æternæ, uti erit sabbathum ex sabbato, Esa. 66. vers. 23. Quemadmodum hic in sabbatho vestes mutamus, & mundiore induimus: sic tum plane exuemus veterem hominem, & induemus novum hominem, qui secundum Deum creatus est. Dabitur singulis, ut cooperiant sese byssino splendenti & candido. Byssinum autem sunt justificationes sanctorum Apoc. 19. v. 8. Tunc vere comparebimus coram facie Domini, audiemus magnum illum *λόγος θεου* & cœlestem Cancellarium Christum differentem de summis mysteriis salutis nostræ, abundabimus coram Domino delictis cœlestibus, eundemque canticis & hymnis nostris concelebrabimus in omnem æternitatem. De his sabbatho cogitandum.

Enodanda hic videtur etiam alia quæstio; hæc nimirum, cum Dominus noster Jesus Christus ipse Judaicum sabbathum observavit, qui fiat, quod nos

nos Christiani illud mutaverimus in diem Dominicum, quem loco sabbathi feriamur? Hic Jesuitæ dicunt, hoc ab Ecclesia matre sic esse introductum, cui nos debeamus obedientiam. Atque inde porro argumentantur: si Ecclesia tantam habet auctoritatem, ut illud mutet, quod à Deo institutum, & inde à principio orbis observatum est, licet nullum habeat Dei verbum: cur non eadem auctoritas valeret etiam in aliis Articulis? Et cur vos Lutherani non etiam reliquas ferias ab Ecclesia institutas, observatis? Nos vero Jesuitis respondemus per insinuationem, & negamus, quod mutatio sabbathi in diem Dominicum proveniat ab Ecclesia. Apostoli, quos Christus suo loco constituit Doctores orbis, & in primis gentium, & quos nos merito sequimur, hanc mutationem introduxerunt. Et habuerunt Apostoli ejus rei graves causas. 1. Respexerunt Phariseorum dogma de necessaria observatione legis Mosaicæ, etiam à gentibus tenenda, si salvari velint. Apostoli ergo ut se à Judæis in totum segregarent, non tantum in Concilio suo, Act. 15. v. 28. gentes ab observatione ea abolverunt, sed etiam dies mutarunt, in quibus cultus divinus erat peragendus. Elegerunt autem diem Dominicum Apoc. 1. v. 10. quo Christus resurrexit à mortuis, quia Jer. 16. v. 15. fit mentio memoriæ alterius beneficii, quam educationis ex Ægypto, cujus beneficii Deus in Decalogo meminit, Deut. 5. v. 15. 2. Deinde Apostoli etiam eo respexerunt, quod sabbathum à Deo dicitur signum, Exod. 31. v. 13. Videte ut sabbathum meum custodiatis, quia signum est inter me & vos in generationibus vestris. Et Ezech. 20. v. 20. Sabbatha mea sanctificate, ut sint signum inter me & vos. Jam vero noverant Apostoli, signa & figuras tantum ad Christum usque durare debere, Coll. 2. v. 17. ideo cum aliis umbris & figuris etiam hoc signum sabbathi removerunt. Fuit autem sabbathum signum. 1. Creationis, quando Deus requievit die septimo ab universo opere, quod pararat, Gen. 2. v. 2. 2. Redemptionis, quando Christus, peracto opere suæ oblationis in sublimi ara crucis, quievit in sepulchro ad resurrectionem usque. 3. Signum sanctificationis, ut sciatis, quia ego Dominus, qui sanctificavi vos, & non ipsi vos. Exod. 31. v. 13. 4. Signum mortificationis nostræ, ut non faciamus voluntatem nostram, sed glorificemus Deum in viis ipsius, Jes. 58. v. 13. 5. Signum æterni sabbathi & quietis, ad quam adhuc sumus introducendi, Hebr. 4. v. 6. Hæ fuerunt præcipuæ causæ, ob quas Apostoli diem sabbathi mutarunt, ut sic falso à Jesuitis hoc Ecclesiæ attribueretur, quod faciunt in eum finem, ut ejus auctoritatem in cuedendis novis Articulis fidei nobis obrudant. Et initio quidem Apostoli libere observarunt sabbathum, ut & alias ceremonias legis, Act. 21. v. 20. Apud Gentes diem Dominicum, Apoc. 1. v. 10. quem alias Evangelistæ vocarunt, *ἡνικα αὐτὸ βῆταιν*, primum diem septimanæ, Act. 20. v. 3. Et Paulus scripsit Coll. 2. v. 16. Nemo vos judicet in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbathorum. Et ad hanc sabbathi abrogationem ipse Christus collimavit, quando toties in Evangelio contra Pharisaicam superstitionem disputavit; Et Luc. 6. vers. 5. dixit, Dominus est filius hominis etiam sabbathi.

Aliquid etiam de abusu sabbathi adjiciendum videtur. Dupliciter illud violatur. 1. ad sinistram, quando omnis generis servilia opera in eo peraguntur. Eo modo peccavit Num. 15. v. 32. is, qui in sabbatho ligna collegit. Sic monet Jerem. cap. 17. v. 21. suos Judæos, custodite animas vestras, & nolite portare pondera in die sabbathi, nec inferatis per portas Jerusalem. Et nolite ejicere onera de domibus vestris in die sabbati, & omne opus non facietis. Nehemias quoque cap. 13. vers. 15. prolixè describit, quomodo hunc abusum tanquam magistratus magna severitate cohibuerit & abrogavit. Et hic abusus est manifestus, à quo Judæi post reditum ex Babylone abstinerunt. Ideo Christo hic abusus parum fecisset negotii: Lex eum punit. 2. ad dextram peccant hypocritæ, & cum his Christo multum negotii: Quia enim labores prophani sunt prohibiti, ipsi finxerunt traditiones, quibus operum prohibitionem coarctarunt. Inter eas recensent: In sabbatho debere unumquemvis sua mutare vestimenta, non debere jejuna ultra sex horas, debere vesci carnibus, non assare porrum, non decorticare allium, non interficere muscam nec etiam pulicem, nisi mordeat, non vinum fundere super sinapi: non ingredi super herbas, ne evellantur; non arborem ascendere, ne ramus frangatur. Breviter, non coquunt, non iter faciunt, nihil laborant: atque adeo superstitione à laboribus abstinent, ut referant de Rabbi Salomone, qui sabbatho in cloacam inciderat, & eo die extrahi noluit, ne sabbathum violaretur. Hinc versus:

Sabbatha sancta colo, de stercore surgere nolo. Sed cum hoc magistratui referretur, is mandavit, ne etiam die solis in sabbatho Christianorum extraheretur. Hinc alter versus:

Sabbatha nostra quidem Salomon celebrabis ibidem. Contra hanc ineptam superstitionem, ex qua etiam fluxit, quod Christum sabbathum solvere contenderunt, si quando ægrum saltem verbo sanavit, Christus plurimum pugnavit, & passim docuit, ad sabbathi sanctificationem facere non narias illas pharisaicas: sed verbum Dei in templo & synagoga primum audire: deinde idem domi repetere: Et quia sabbathum propter hominem est institutum, opera charitatis exerceri debere. Illa vero opera, quæ impediunt ministerium, sunt prohibita, hac tamen cum limitatione, si necessitas ingruat, ut moram ferre nolint, ut absque læsione conscientiæ etiam illa peragamus.

IV. Quartum membrum hujus convivii est Christi commonefactio ad invitatos de discubitu. Cum enim *intenderet*, hoc est, attente observaret & consideraret, quomodo Rabbini inter se *eligerent* *πρωτονδυστος* & *primos accubitus*, atque inde animi tumorem, fastum & superbiam ipsorum cognosceret. Ideo, quemadmodum in primo ingressu hydropticum tumorem ægri præsentis sanavit, ita nunc spiritualem tumorem & fastum Pharisæorum curare intendit. Monet ergo, non decere homines pios, doctos & liberaliter educatos in publico confesso ambire digniora loca, aut ita gloriolæ humanæ deditos esse, ut curent tales nugas. Et addidit duas rationes. 1. fieri posse, ut honoratior superveniat, cui necessario cedendum erit, si modo aliqua honestatis ratio apud alterum

Ppppp 2

erit,

erit. 2. fieri posse, ut iudicium hospitis, qui te invitavit, à tuo sit diversum, ut maxime nolis locum dare honoratori; tamen iustus cogaris id facere, utpote in domo aliena. Sed utrumque fiet cum magno rubore & dedecore. Proinde *περωκλησιαι* non sunt ambiendæ nec eligendæ. Quin potius ad nuptias vel convivium vocatus, modeste de te sentias, & aliis plus honoris deferas, quam tibi ipsi, ac proinde *in novissimo accumbe loco*.

Nam inde cum gloria poteris ascendere in honestiorem locum, qua in re iudicium hospitis te plurimum juvare potest; qui non sinet te accumbere inferiori loco, quam dignitati tuæ personæ conveniat. Hæc est Christi doctrina; Verum quærat hic aliquis: Num Christus ex præcone salutis factus est Magister ceremoniarum, qui velit docere, quomodo in nuptiis & conviviis publicis hospites, ad mensas sint collocandi? Resp. Omnino Christus sublimius quid per hunc sermonem, quem Lucas *parabolam* vocat, (parabolæ enim sublimiorem sensum habent, quam externa verba præ se ferunt,) intelligit: nihilominus tamen innuit sibi suoque cœlesti patri probari, si homines in hoc mundo politicam, morum civilitatem observant. Neque res indigna est Evangelico Doctore, si etiam interdum morales huiusmodi doctrinas tractat; ut enim bonus medicus non tantum gravioribus, sed etiam levioribus morbis medetur: sic etiam, bonus Evangelicus studet in suis auditoribus non tantum graviora peccata refecare, sed etiam si quæ alia in communi vita minus honesta accidunt. Notari itaq; debet hic locus contra Anabaptistas, qui clamant, nullum debere esse respectum personarum, ac proinde omnes esse pares & æquales, sive sint Doctores, sive magistri, sive nobiles, sive consules. Allegant ad facti sui defensionem inter alias locum Jacob. 2. v. 1. ubi Apostolus reprehendit, quod in congressibus viro splendide vestito attribuant locum digniorem, pauperem autem remittant ad scabellum pedum suorum. Sed miseri isti homines nihil intelligunt. Christus quando de suo regno loquitur, & de cœlestibus beneficiis, quæ in illo distribuuntur, tunc tollit omne discrimen personarum: hic nec dives, nec pauper, nec servus, nec liber, nec masculus, nec fœmina, Gal. 3. v. 28. Sed omnes unum sunt in Christo Jesu. Idem enim verbum eadem sacramenta, idem baptisimus, eadem absolutio, eadem lex, idem Evangelium offeruntur & regi & subulco. Hic nulla disparitas personarum. Sed in civili atq; œconomica vita, vult Christus, ut honoratior, h. e. qui vel ratione muneris publici, vel ratione ætatis dignior est, primum accubitus habeat. Et hanc doctrinam Anabaptistæ sua rusticitate non evertent: Nam honorem, cui honorem Rom. 3. v. 7. Salomon quoque moralem hanc doctrinam habet Prov. 25. 6. Ne gloriosus appareas coram rege, & in loco magnorum ne steteris: Melius est enim ut dicatur tibi: Ascende huc, quam ut humiliaris coram principe. Sic igitur Christus humilitatem docet, & accubitus *περωκλησιαι* verat. Recte tamen Patres, Basilius, Theophylactus & alii monent, Christum hic docere veram & non fictam humilitatem: ubi quidam eligunt quidem inferiorem locum, sed postea per integrum convivium torvū vident. Hic recte Chrysostomus dicit: sine causa

loco te humilias, si corde te præfers. Sic & illud non civilitatis, sed rusticitatis, si cui debetur dignior locus, nec tamen ullo modo, ullis precibus, nullis monitionibus permoveri potest, ut cum occupet, tantum ut humilis esse videatur. Sub hac ficta humilitate affectata superbia latitat, quæ Deo dupliciter displicet: Nam primo loco accumbere per se non est peccatum, neque Christus id reprehendit, sed hoc, quod *eligebant primos accubitus*, & se reliquis doctiores, sapientiores, meliores, sanctiores æstimabant: cum hoc iudicium sit penes Deum. Porro quia Christus hic *parabolam dixit*, & sublimius quid per eam quam tantum civilem modestiam in conviviis observandam esse, docere voluit, ideo etiam de eo aliquid est agendum. Nimirum docere voluit per omnem vitam, ubique in omnibus, & semper humilitatem sectandam, & delectum illum exaltationis fugiendum esse. Cum certum sit, quod Deus quovis tempore humiles exaltavit, superbos autem humiliavit. Siquidem contritionem præcedit superbia, & ante ruinam illum exaltatur spiritus. Prov. 16. v. 18. Et fere superbia primaria causa est omnis interitus. Hæc doctrina alius deduci, & spiritualiter explicari potest. Deus filio suo quoque fecit nuptias in cœlis, de quibus Apoc. 19. v. 7. Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ agni, & uxor ejus præparavit se. Ad hæc nuptias, primo invitavit angelos. Ibi Lucifer voluit occupare *περωκλησιαι*, sed degradatus est, Ies. 14. v. 12. Quomodo decidisti de cœlo lucifer, qui mane oriebaris? Apoc. 12. v. 8. Draconis nullus amplius locus in cœlo inventus est. Draco, diabolus & satanas projecti sunt in terram, & angeli ejus cum illo missi sunt. Et Luc. 10. v. 18. Christus testatus est se vidisse satanam sicut fulgur de cœlo cadentem. Post angelos invitati sunt etiam ad illas nuptias homines, parentes nostri *περωκλησιαι*, Adamus & Eva. Ibi Eva quoque eligere voluit primum discubitus, voluit Deo par esse & æqualis Gen. 3. v. 5. & in eo consensit maritus: sed ambo iusti *cum rubore extremum tenere locum*, ex paradiso ejecti sunt, & in extrema illa dejectione ipsis & omnibus eorum posteris in æternum pereundum fuisset, nisi summus Dei filius ex cœlo in hanc miseriarum vallem descendisset, & novissimus virorum factus fuisset, Esa. 53. v. 3. atque sic in seipso nos quoque rursus exaltasset. Ipse non rapinam arbitratus est æqualem esse Deo, sed exinanivit semetipsum, formam servi accipiens: humiliavit se, & factus est patri obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis. Sed vicissim etiam exaltatus est super omne nomen, ut jam in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium & infernorum, Phil. 2. v. 6. Hujus exemplum nos quoque imitemur. Sicuti fecit Maria, Luc. 1. v. 38. Ecce ancilla Domini. Et Petrus, qui se aliis verbi ministris non prætulit, sed 1. Petr. 5. v. 1. se sympresbyterum & conseniorum vocavit. Postea etiam v. 5. generalem hanc sententiam subjunxit: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Humiliamini ergo sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis. Si quis hanc doctrinam ulterius velit extendere, is transeat per omnes status, & deprehendet, quomodo Deus superbis resistat, humilibus autem

der



det gratiam. In Ecclesia Deus varie distribuit dona ad ædificationem Ecclesia; sicut Paulus 1. Cor. 12. v. 8. prolixè illud refert. Sed hic sæpenumero inter collegas idem accidit, quod Apostolis, Matth. 18. v. 1. Quis, putas, major est? Eo quando res cum verbi ministro devenit, jam ruina vicinissimus est, ut in hæresin prolabatur. Accidit hoc Arrio, Nestorio & reliquis hæreticis, atque majorum nostrorum ætate Carolo studio. Paulus Pseudoapostolis tribuit, 1. Cor. 4. v. 18. & c. 8. v. 1. quod sint inflati. Sic etiam Coll. 2. v. 18. dicit, quod phanaticus sit *εἰς τὴν φουσίαν τοῦ πνεύματος τῆς σαρκὸς αὐτοῦ*, temere turgens carnis suæ sensu. Verus ergo minister, quo sublimiora dona habet, eo humilior sit. Paulus laboravit plus, quam reliqui Apostoli omnes, 1. Cor. 15. v. 10. sed accepit Satanam colaphizantem, 2. Cor. 12. v. 7. ne ob magnitudinem revelationum extollar se. Sic in politica Deus etiam sua dona distribuit, prudentiæ, eloquentiæ, fortitudinis, singularis fortunæ & industriæ, unde illi, qui in magistratu sunt, magnam consequuntur auctoritatem & existimationem. Sed quam primum politicus incipit ista sibi tribuere, & alios præ se despiciere, mox versat se fortuna. Quamprimum rex Israelis Saul superbus fit, abjicitur, & David eligitur. Vide 1. Sam. 15. v. 17. orationem Samuelis ad Saulem. David quoque ex superbia numeravit populum, 2. Sam. 24. v. 2. Sed quam graviter Deus ipsum punierit, notum est. Ulsias non contentus gladio & corona, thuribulum in templo quoque tractare voluit: sed statim lepra punitus est à Domino. 2. Par. 26. v. 19. Exempla regis Tyri, Ezech. 28. v. 2. Nabuchodonosoris, Dan. 4. v. 27. & Belsazaris, Dan. 5. v. 22. notissima sunt atque illustissima. Et si Deus tantis regibus non pepercit, certe etiam non parceret ipsorum consiliariis, si cor eorum elevetur. In Oeconomia idem observare licet. Hagar seipsam exaltavit, & despexit suam Dominam, Saram, Gen. 16. v. 5. Sed tandem ejecta est ex aedibus Abrahami, Gen. 21. v. 14. Phenenna quoque Elcanæ conjux despectui habebat Hannam ob sterilitatem, 1. Sam. 1. v. 6. Sed hæc vicissim ignobilis manfit, Hanna autem genuit Samuelem omnium Prophetarum coryphaum; Sic interdum aliquis superbit de sua pulcritudine. Sed Deus minatur El 3, 24. pœnâ, quod pro crispinata crine calvitio, & pro fascia pectorali ciliciv ipsi dare velit. Sic Nabal ob divitias despexit, & contumelia affectit Davidem pauperem & exulem, 1. Sam. 25. v. 10. Sed Deus illum humiliavit, & hunc omnium ipsius bonorum possessorem fecit. Itaque si quando Deus alicui bona sive animi sive corporis, sive fortunæ largiatur, norit, Deum id propterea facere, quod illum probare velit, an etiam didicerit dictum illud Syracidæ cap. 3, 17. 18. Fili, quanto major es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam; quoniam magna potentia Dei solius, & per humiles magna efficit.

Ex his quæ hæcenus dicta sunt, potest quisque non tantum intelligere, sed etiam explicare veritatem illius generalis dicti, quo Christus sane parabolam concludit, illudque etiam in aliis locis repetit: *Omnis qui se extollit, dejicietur, & qui se dejicit, extolletur.* Itaque sic statumus: Quemadmodum Dominus Jesus hic in Pharisaico convivio oculos circumducit, attendens, quomodo singuli

Harm. Tom. I.

Pharisei eligant primos accubitus, quod eodem modo adhuc hodie in cœlis sedens ad dexteram sui patris, circumspiciat & attendat, quid inter homines fiat: Si quos ergo videt affectare superioritatem, quos tamen ipse non evexit, tum eos vicissim humiliat; certe si hodie circumspiciat, longe alium ordinem in orbe Christiano inveniet, quam ipse instituit.

Ex scripturis & præsertim ex Daniele notum est, Deum Cæsari *παρωικα* *ἰερῶν* in orbe Christiano tradidisse: sub summis enim Monarchis Deus reliqua regna & ditiones regere, atque in officio continere vult. Unde Paulus Rom. 13, 1. de Romano Imperatore scribit, omnis anima subiecta sit potestatibus sublimioribus: Non enim est potestas nisi à Deo. Et Petrus 1. Epist. 2. v. 13. Subiecti estote omni humanæ ordinationi propter Deum: sive regi, tanquam præcellentis, sive ducibus ab eo missis. Contra hanc Dei ordinationem Papa Romanus in Christianitate occupavit primum locum. Et quidem à Cæsaribus; quibus ipse varias nebulas ob oculos objecit, ad istam sublimitatem evehctus est; sed jam vicissim eos pro libitu premit. Sed experietur, quod Dominus convivii ipsi suo tempore dicitur sit: Descendè inferius; Et si hoc maturius non fiet, fiet tamen in novissimo die, quando mittetur in stagnum ignis ardentis & sulphuris, Apoc. 19, 20.

V. Quintum hujus convivii membrum est, quod Christus invitantem se, ut & reliquos convivas instituit, ne in conviviis parandis vel inanem gloriam vulgi aucupetur, vel remunerationem spectet, sed ut hospitalitatem suam gratis & potissimum erga pauperes exerceat. Sic ergo se gratum erga benefactorem exhibere, & convivii pretium persolvere voluit; Nam etiam iis, qui sincero studio nobis benefaciunt, major gratia referri nequit, quam si admoneantur de iis, in quibus errant, ut in veram viam reducantur: Animadvertit enim Christus hæcenus communem hunc Judæorum, inprimis autem Phariseorum morem esse, quod in conviviis adornandis magnifico apparatu & splendore se ostentent, amicos & vicinos magno numero invitent, ab ipsis ut idem fiat, expectent, pauperes interim negligant, aut etiam si maxime elemosynas illis distribuunt, id cum pompa vendendæ gloriolæ causa faciant, sicuti Matth. 6. v. 2. videre licet. Hoc vitio cum absque dubio sic princeps Phariseorum, ad cujus mensam Christus cum multis aliis invitatus erat, etiam laboraret, atque eo ipso opus per se bonum contaminaret, Christus ipsum ab eo revocare voluit. *Cum facis prandium, inquit, aut cenam.* Græcis prandium significat *ἀεινον* quasi *ἀεινον* ratione temporis, ut vult Etymologia: Veteres enim tanquam frugi homines semel tantum in die cibum sumebant, idque incerto tempore, atque hinc *ἀεινον* dictum esse volunt. Postea accessit alterum edendi tempus, quod dixere *δειπνον*, vel tanquam *τῶν τῶν δειπνῶν διαπαύειν*, ut post peractos labores homo recreetur, vel quasi *διαμεπωνημένον*, quod non tam facile, ut *ἀεινον* apparetur. Quidam *δῶπον* quasi tertium edendi tempus adjiciunt, sed apud plerosque autores *δῶπον* idem est, quod *δειπνον*; nisi quod illud magis poeticum sit. Denique apud Græcos accessit *αὐράτισμα*, (fortassis Germanorum *Schlafftruncel*) quod à meracius potandi consue-

PPPPP 3

consuetudine nomen adeptum putant, quod panis bucella mero tingeretur. Hodie multis integer dies non sufficit ad potandum; adeo multum a veterum frugalitate recessimus. Quanquam etiam Jesaias de Judæis sui temporis conquæstus sit; quod idem fecerint, c. 5. v. 11. Væ, qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, ad potandum usque ad vesperam, & vino æstuatis.

Primo indicat Christus, quinam non sint invitandi: *Noli vocare 1. amicos tuos. 2. neq. fratres tuos. 3. neque cognatos tuos. 4. neque vicinos divites.* Hæc verba Christi *ἡ τὸ πτωχὸν* accepta videntur pugna-re cum ipsa natura, cum exemplis sanctorum, imo etiam cum exemplo ipsius Christi. Naturæ lex monet, ut quo quisque propiore sive sanguinis sive cognationis vinculo nobis junctus est, eo pluribus benevolentia officii eum prosequamur. Hinc Paulus 1. Tim. 5. v. 8. Si quis suorum & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & infideli est deterior. Sancti etiam tales ad convivia invitarunt. Abraham amicos, Gen. 21. v. 8. Isaac vicinum regem Abimelechum cum Phicole duce militum, Genes. 26. v. 26. Josephus fratres in Ægypto convivio excepit, Gen. 43. v. 32. Exod. 18. v. 12. Cum Jethro focer Moïsi venisset ad ipsum in desertum, venerunt Aaron frater & omnes seniores Israel, ut cum ipso panem comederent coram Domino. Quinimo ipse Christus ad discipulos suos, Petrum & Matthæum divertit, atq; cum Lazaro, Martha & Maria amicis-simis suis libenter conversatus est. Quo igitur sensu hic prohibet, ne tales ad convivium vocentur? Quærenda est *ἡ δὲ ἰσχυρία* vel in toto contextu, vel in ejus verbis. Quidam ergo putant Christi sententiam sic accipiendam esse, quia dicit: *nolite vocare πτωχοὺς, divites*, ut hæc vocula *divites* referatur ad omnes præcedentes amicos, fratres, cognatos & vicinos. Hi si sunt divites, tum non esse vocandos: Si vero pauperes sint, licere omnino eos vocare. Ac proinde etiam in posteriori membro voculam *pauperes*, quoque referunt ad debiles, claudos, cæcos. Si sint in re lauta, sicut etiam quidam debiles & gibbosi inveniuntur, qui alienam quadram sequuntur, & loco morionum ineptis hominibus inferviunt: tales quoque non esse vocandos. Et sane hic sensus non est impius. Verum ipse contextus veriorum sensum præbet, quod nimirum monere voluit: siquidem convivia honoraria referantur inter officia caritatis, quæ mere gratuita esse debeant, idcirco etiam sic instituenda esse, ut nullam retributionem, nullum privatum commodum, nullam gloriam inde expectent. Ideo diserte adjicit: *ne quando & ipsi te vicissim invitent, ac rependatur tibi beneficium.* Ideo dicit Luc. 6. v. 33. Si benefeceritis his, qui vobis benefaciunt, quæ vobis est gratia? Siquidem & peccatores hoc faciunt. Vult igitur Christus, Christianorum convivia ex mera & plena charitate & benevolentia & liberalitate proficisci debere, ut sic differant a conviviis gentium & peccatorum. Alias si quis quem invitat, & ab eodem postea duplicatum beneficium expectat, is Pharisaismum committit. Hac in parte hodie sæpenumero peccatur. Invitat quis verbi ministrum, vel alium quempiam, & pauxillo cibo ac potu eum recreat, ut sic sibi quasi debitorē faciat, quo duplo majori beneficio ipsum rursus

afficiat, apud Principem & alios ipsum commendat, unde major gratia ipsi accedat. Hic, ut dixi, est Pharisaismus; quæ Christus hoc loco reprehendit.

Secundo igitur loco indicat, quinam ad convivium sint vocandi? *Imo cum facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos, cæcos.* Hoc auribus in humanis auditu admodum est grave. Nam pauper Lazarus passim ante divitum fores jacet, & negligitur. (Quanquam malitiosi & validi mendicantes sua pravitate multorum bonorum animos a se alienent.) Singuli prætendunt, quæso quid utilitatis ad meredibit, si singulis diebus mensam mendicorum, cæcorum & claudorum alam? omnium impensa ejusmodi convivii mihi perit, siquidem non habent, unde rependant. Hoc apprehendit Christus, & dicit: *Eo nomine beatus eris, quia non habent, & quia non possunt rependere tibi.* Neque tamen tibi perit tua beneficentia, quam contulisti in pauperes. Nam erit tempus, quo tibi illud charitatis officium longe plenius & perfectius rependetur, quam quisquam divitum vel amicorum in hoc seculo rependere potuisset: Nam quicquid in hoc mundo rependitur, illud temporaneum & transitorium; sed rependetur tibi in resurrectione justorum, ubi Deus pro temporali refectione pauperum æternam cœlestium gaudiorum perfruitionem tibi rependet. Hoc quando Pontificii tractant, mox inferunt: Ex hac historia patet, bona opera esse meritoria vitæ æternæ. Nos vero respondemus, doctrinam de meritis & præmiis bonorum operum esse distincte in Ecclesia Christi proponendam. Si quis contendat, peccatorum expiationem, cœlestis patris reconciliationem, & vitæ æternæ donationem nostris operibus deberi: ei nos respondemus, quod injuria afficiat meritum Christi. Hujus enim solius proprium officium est, ut dona illa, adoptionem, salutem & vitam æternam nobis pareat. Illa gratis nobis donantur propter meritum, & obedientiam filii Dei, & fide accipiuntur. Nos autem quando fecerimus omnia; quæ præcepta sunt nobis, dicere debemus: servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus, Luc. 17. v. 10. Interim tamen bona opera, quæ sunt a reconciliatis ex fide, placent Deo propter Mediatorem, & habent sua præmia, spiritualia & corporalia, tum in hac vita, tum in futura; non ex meritis nostris, & quasi Deus noster debitor sit ob operum nostrorum dignitatem, sed quia ex mera misericordia & paterna liberalitate, propter Christum, promissit, se præmiis ornaturum hanc languidam, imperfectam & inchoatam nostram obedientiam. Hæc igitur promissiones in nobis excitare debent studium bonorum operum, non autem animos nostros efferre, ac si plurimum iis mereri possemus. Nam etiam hoc, quicquid illud sit, sit ex gratia propter Christum, cujus obedientia perfecta patri adeo grata fuit, ut etiam nostram inchoatam obedientiam, quam ad Christi doctrinam Spiritu Sancto duce præstamus, velit spiritualibus & corporalibus, temporalibus & æternis præmiis ornare. Ex his patet nemini nocere suam beneficentiam, quam exercet in pauperes: & tamen opera ipsius non esse meritoria vitæ æternæ.

Potest hic generalis doctrina tractari de pauperibus,

peribus, quomodo famelici sint cibandi, & deficientes potandi, Esa. 58. v. 7. Quas item Dominus in Mose leges dederit, ut mendicantes coerceantur: & tamen pauperibus non desit, unde ex publico alantur. Deut. 14. v. ult. & 15. v. 4. & 24. v. 19. Cavendum enim ne ignavi illi fuci, qui ex mendicitate quæstum faciunt, verè pauperibus holos ex faucibus eripiant. Ditiore etiam sunt commonefaciendi, ut Jobum imitentur, qui dicit cap. 31. v. 17. Si comedi bucellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea? Si despexi prætereuntem, eo quod non habuerit indumentum, & absque operimento pauperem? &c. Tobias quoque senior inter alia præcepta filio etiam hoc dedit c. 4. v. 7. Panem tuum cum esurientibus, & egenis comede: & de vestimentis tuis nudos tege. Si quis etiam hic velit tractare locum de novissimo judicio, quomodam habebit occasionem: Nam post resurrectionem & iustis tribuentur præmia benefactorum, & impii dignas accepturi sunt pœnas, prout factis suis meruerunt.

VI. Sextum sive postremum, adeoque præcipuum Pharisæi hujus convivii membrum est concio Christi de bonitate Dei, Judæos ad cœlestis sui regni communionem invitantis, & horum ingratitude qui terrena bona cœlesti felicitati prætulerunt. Ante omnia autem Evangelista occasionem refert, quæ factum, ut Christus hac de re differeret. Inter reliquos enim Pharisæi convivias unus assidebat, qui cum audisset verba Christi, *rependetur tibi in resurrectione iustorum*, accensus desiderio cœlestis convivii, in quo electi discumbent cum Abrahamo, Isaac & Jacobo in regno Dei, erupit in hæc verba: *Beatus, qui edet panem in regno Dei.* Hæc verba quidem tanquam ex æmulatione prolata suscipiunt, quasi sciolus quidam & inflatus Pharisæus Christo sermocinanti interlocutus sit, & sermonem ejus corrigere voluerit. Quasi dicere voluisset: quid opus est coram tam doctis viris, quales hic præsto sunt, de tam exilibus rebus agere, quomodo convivæ sint ordinandi, qui item ad convivium sint vocandi: Sublimiora hæc de regno cœlesti, cujus meditatio etiam sabbatho convenit. Hujus sententiam, si hæc fuit, Christus non rejicit: sed adducta hæc parabola ostendit, quibus felicitas illa sit obventura, & quomodo primores Judæorum, licet primo loco fuerint invitati & vocati, sua culpa ab illo cœlesti convivio sint excludendi, atque in eorum locum tam contempti Judæorum, quam promiscue gentium turba successuri. Alii existimant illum conviviam hæc verba ex devoto corde protulisse: Quia enim sermo Christi vivus est & efficax, penetrabilior omni gladio ancipiti, & usque ad divisionem animæ & spiritus pertingens, Hebr. 4. v. 12. ideo etiam in hoc convivio illum fructum protulit, ut is fastiditis mundanis epulis appositus, ad cœlestes epulas anhelare inciperet. Hic est effectus blandæ & humanæ illius conversationis, & quod absque mordacitate eos admonuit atque instituit. Ut ut autem sit, hic conviviam sive ex æmulatione, sive ex devotione hæc verba protulerit, nos tamen monemur, in ipso usu cibi corporalis cogitandum esse, non tantum ut edamus & saturemur, sed ut operemur etiam cibum, qui non pereat, sed permaneat in vitam æternam, quem filius hominis nobis dat, Joh. 6. v. 27. Ideo

Harm. Tom. I.

etiam multi post sumtum cibum & potum in gratiarum actione sua adjiciunt, & fac nos participes æternæ tuæ mensæ, per Dominum nostrum Jesum Christum, Amen.

Christus igitur ostensurus, quinam panem in regno DEI commesturi, & qui ab eo secludendi sint, adducit parabolam per se planam & apertam, de homine quodam prædivite, qui in urbe sua constituit parare cœnam magnificam, quæ & multis ferculis constaret, & multis parata esset. Ad eam ergo initio invitavit cives multos, divites & honoratos. Sed cum hora cœnæ, eosdem per servum rursus vocaret; & ipsi frivolas excusationes prætenderent, ob quas comparere non possent: ipse quidem Dominus inique hoc tulit, & invitatis non leviter indignatus est. Ne tamen expensæ convivii frustra factæ essent, in eorum locum primo ex vicis & plateis convocari iussit pauperes, debiles, cæcos, claudos, qui absque dubio ob famem & inopiam cœnam non essent recusaturi. Postea, istis ad convivium non sufficientibus, iussit etiam peregrinos & externos, extra civitatem iuxta vias & sepes repertos adducere, & si qui horum vel ob pudorem venire nollent, vel alias comparere gravarentur, servo injunxit, ut compellat intrare, quo domus compleatur. De primis autem invitatis sermone pronunciat, nullum ipsorum suam cœnam gustaturum. Hæc est summa parabola, cujus singula membra jam sunt enucleanda.

1. *Homo quidam*, qui hic parabolicè considerandus introducit, designat Deum patrem cœlestem; quem Christus Matth. 22. v. 2. in consimili parabola vocat *hominem regem*: *Hominem*, qui humane & paterne erga nos homines est affectus; *Regem*, quia regit cœlum & terram. Hic rex regum quotannis & quotidie ad cœnam verbi homines vocat: Venite, gustate & videte, quoniam suavis est Dominus Psal. 34. v. 9. In mundo cum primis honorificum est, ad regis vel principis alicujus mensam vocari: Certè Hamamis magnificè gloriatus est coram domesticis suis, quod solus cum rege ad mensam reginæ vocatus esset. Esth. 5. v. 12. At longè major gloria à Deo invitari, qui est rex regum, qui dominatur à mari ad mare, cujus sedes cœlum, & terra scabellum pedum, qui millia millium habet ministrantium sibi. Quidam per *hominem* intelligunt filium Dei à patre in mundum missum, ut verè homo fieret. Neque hic sensus malus est, quin omnino hic homo, magnis impensis, nimirum pretio sui sanguinis, hanc cœnam nobis paravit.

2. *Paravit cœnam*. Per *cœnam* intelligunt quidam Dominicam illam dispensationem, qua Filius Dei novissimis mundi temporibus homo factus, redemptos suos pascat pane verbi Evangelii, & variis sacramentorum ferculis. In doctrina Evangelii proponitur nobis agnus Dei, Jesus Christus, in alto stipite crucis æstuante amore assatus. Hic vult esse cibus noster. Proponitur panis angelorum, verum Manna, quod qui manducaverit, vivet in æternum, Joh. 6, 51. Proponitur caro Christi, quæ fruimur non tantum fide in verbo, sed etiam ore in sacramento, virtute verborum ipsius, quæ verè efficere possunt omnia, quæ promittit. Proponitur eximius potus, quem qui biberit, non sitiet in æternum, nimirum sanguis Jesu Christi, vinum illud rubrum, Gen. 49. v. 11. quod habet virtutem ex-

Ppppp 4

pur-

purgandi peccata, 1. Joan. 1. v. 7. Et hunc sacrum potum quoque non tantum fide haurimus, quando credimus, nos esse redemptos non sanguine hircorum, sed ipsius Pontificis Jesu Christi: sed etiam ore bibimus in sacra cœna sub vino, virtute verborum institutionis ipsius. Alii per *cœnam* hic intelligunt felicitatem aeternæ vitæ, ad quam electi per verbum ministerii vocantur. Et sanè de hac Christo propriè etiam agere, manifestum est ex occasione parabolæ, quæ loquitur de pane in regno Dei manducandi.

Cum enim usitate Ecclesia distinguatur in militantem in his terris, & in triumphantem in cœlis, quæ tamen una est Ecclesia, quæ hic inchoatur per fidem, illic autem perficitur per spiritum: Ita quoque unum est quodammodo convivium, pascitur in hoc mundo militans Ecclesia in velamine verbi & sacramentorum; in altero verò mundo triumphans Ecclesia sine velamine in Christo ipso. Et quemadmodum per se quidem unum est regnum Dei, & tamen propter Ecclesiam militantem & triumphantem distinguitur in regnum gratiæ & gloriæ: Ita quoque Christus nos in hoc mundo degentes cibabit gratia: postquam transiverimus, cibabit gloria. Utrobique tamen unus est Christus, utrobique unus cibus, & potus, tantummodo diversimode paratus, quo hic fruimur per fidem, illic autem fruimur per spiritum, 2. Cor. 5. v. 7. Ultriusque igitur seculi convivium unum, *cœna* hic vocatur: tum, quia in hoc mundo post Evangelii prædicationem nulla nova doctrina est expectanda, in Evangelio DEUS omne suum consilium de salvando humano genere manifestavit: tum etiam, quia cœleste convivium nulla alia felicitas sequetur, sed hæc durabit in omnem aeternitatem.

3. Cœna hæc *magna* dicitur. Revera *magna* est, sive inspicias cœnæ hujus institutorem, DEUM, cui Assuerus, Iulius Cæsar, & alii Monarchæ, qui & ipsi magna convivia instituerunt, nulla ex parte sunt conferendi: sive inspicias multitudinem vocatorum, de quibus mox audiemus, sive etiam ferculorum copiam & abundantiam, quæ sufficiunt ad saturandum omnes discumbentes, ut nunquam amplius neque esuriant, neque sitiant: sive etiam vasa aut paropsides inspicias, in quibus nobis fercula ista, seu agnus Dei, proponuntur.

Vasa ista sunt verbum prædicatum, baptismus, absolutio, cœna. In verbo offertur agnus Dei credendus: In baptismo induendus: In absolute, ut meritum ejus nobis applicemus: In cœna, ut fiat noster cibus & potus. Hoc mundus non æstimat *magnam*, dicit, quid hoc magni? audio tantum verba, video tantum aquam, panem & vinum. Spiritualia majori cum pompa conferri debebant. Sed D. Chrysostomus rectè respondet, si essemus angelici, proponerentur nobis ista in meris spiritualibus: nunc quia sumus carnales & mundani, mundana etiam elementa assumuntur, ut spiritualia illa nobis accommodentur. Nos itaque Christiani non offendamur, sed dum in hac mortali vita degimus, hæc magni æstimemus, ubi ad convivium triumphantis Ecclesiæ transcenderimus, ibi demum vere *magna* inveniemus, quæ oculus non vidit, auris non audivit, & in cor hominis non penetrarunt. Esa. 64. v. 4. 1. Cor. 2. v. 9.

4. *Invitat multos*. Per *multos* primum intelligere possumus totum genus humanum: Deus enim occulto decreto ne unum quidem hominem ab hac cœna excludit. Ideò hæc invitatio mox in paradiso ad totius humani generis progenitores initium cepit: Ubi Deus promisit filium, qui martiri se passurus sit pro salute totius humani generis. Nec insolens est in scriptura sacra, quod vocula *multi* ponitur pro *omnibus*; Matth. 20. v. 28. Christus ipse dicit se venisse, ut animam suam det redemptionem pro *multis*. Hoc Paul. 1. Tim. 2. v. 6. sic explicat, quod Christus dederit semetipsum redemptionem pro *omnibus*. Ita etiam hæc vocula explicatur, Jel. 5. v. 1. *Omnes* sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite, comedite. Et Matth. 11. v. 28. Venite ad me *omnes*, qui laboratis. Quamquam etiam hæc vocula *multos* invitavit, dextrè explicari possit respectu angelorum. Hi enim cœlesti convivio etiam fruuntur: non tamen ut invitati, sed tanquam domestici, qui in domo cœlestis patris manserunt. Homo autem factus est extraneus, ac proinde rursus invitari debuit. Si tamen scopum hujus parabolæ spectare velimus, per *multos* intelligimus Judæos, inprimis autem ipsorum primores. Hos enim DEUS invitavit per legem, quæ fuit pædagogus ad Christum. Hi fuerunt in V. T. populus Dei præ gentibus. At quia per legem salvari non poterant, *hora cœnæ* venit filius Dei, ipse attulit suum Evangelium, & promisit, se passionè & satisfactione sua ipsis salutem paraturum, & vitam aeternam daturum, modo *veniant*, h. e. ad Deum convertantur, & à lapsu revertantur. His duobus autem verbis verbum *venite* in scriptura explicatur. Quia autem naturam sumus in regno satanæ; ideò necesse est, ut per penitentiam & fidem convertamur ad Deum. Sed semper veteri nostro Adamo adulescit vetustas carnis, unde recidivum patimur: Proinde dicit nobis Dominus, revertere. *Qui sic veniunt*, hoc est, convertuntur & revertuntur, *illis parata sunt omnia*. Neque enim opus est, ut nos homines aliquid de nostro addamus. Ipse enim Dominus parat nobis mensam; Psal. 23. v. 5. & convivium pingvium, convivium vindemiæ medullatorum, vindemiæ defæcatæ. Jel. 25. v. 6. Neque enim ea est ratio hujus cœnæ, quæ interdum inter homines, ubi amici ollas comportant, & quisque domo ferculum secum affert, ut cœna pareretur. Nullo modo. Sed quod impossibile erat legi, hoc Dominus præstitit misso filio, Rom. 8. v. 3. Hic hæreditatem nobis paravit: nec in ara crucis citius animam suam Patri tradere voluit, quam dicere posset, consummatum est. Nec jam nobis dicit: Ego, quod meum est, feci; oportet jam te quoque, quod tuum est, facere: Sed simpliciter dicit: *parata sunt omnia*, tantummodo veni, utere, fruire.

5. Quid Judæi? *Cæperunt simul omnes excusare*. Cupiunt quidem Judæi etiam salvari, sed eo modo nolunt, quo DEUS per verbum Evangelii revelavit; nimirum per fidem in Christum. Ideò alii quidam *quinq; jugæ boum emunt*, hoc est, offerunt sua sacrificia, & habent certas ceremonias ab ipso DEO datas, per harum observationem se salvari posse, sperant. Iste verò JESUS nimis facilem reddit viam salutis, dum nihil præterquam fidem requirit. Alii verò *emunt villam sive agrum*, hoc

hoc est, habent politicum regimen, sunt divites & potentes, & si hunc Jesum regem susciperent, periculum esset, ne venirent Romani, & omnia pessundarent. Rursus alii dixerunt, *se uxorem duxisse, ac que idem venire non posse*, hoc est, pretendunt, sibi non vacare, ut cognoscant & iudicium ferant inter Phariseorum & Jesu contentionem, habere aliud, quod agant. Hoc modo tres illa excusationes respectu Judæorum, qui tempore Christi vivebant, explicari possunt. Generalius tamen etiam ad alia tria obstacula, quæ multum homines in salute impediunt, accommodari possunt. Christus Matth. 13. v. 22. tria ponit, quæ efficiunt, ut verbum Dei auditum nullum fructum afferat, nimirum sollicitudo seculi, fallacia divitiarum, & voluptates mundi. Consimiliter Johannes 1. Epistol. cap. 2. v. 16. itidem tria enumerat, quæ hominibus quoad salutem nocent, nimirum superbiam vitæ, concupiscentiam oculorum, & concupiscentiam carnis. Hæc probè cum hisce tribus conveniunt. Primus, *qui agrum emit*, laborat superbia vitæ; In quem enim finem homines sibi agros, villas, & latifundia comparant, quam ut præ aliis in pretio & honore, tanquam potentes habeantur? Alter, *qui quinque jugabovum emit*, laborat sollicitudine seculi. Finis enim bovum emitorum hic est, ut operibus exerceantur, Psalm. 144. v. 14. atque sic patrifamilias plurimum lucri afferant. Tertius, *qui uxorem duxit*, laborat concupiscentia carnis: Plerique enim conjugium ineunt, non propter ordinationem Dei, & ut legitimo modo fecunditatem quærant, sed ut voluptatibus carnis indulgeant. Et hæc tria plurimum incommodant saluti hominum. Observa autem, quod cum priores duo *se excusatos haberi* petant, tertius tamen simpliciter sine omni excusatione dicit, *non possum venire*. Nam illorum animi, qui luxuriæ carnis indulgent, longè minus curant salutem æternam, quam qui divitiis appetunt, aut solitudinibus immerguntur. Hi interdum de somno suo expergiscunt, & de salute quoque sua cogitare incipiunt. Illi verò plane quasi obtusescunt, ut verè ab Hosea dictum sit, cap. 4. v. 11. Fornicatio, vinum & ebrietas auferunt cor.

6. Postquam servus Domino suo excusantium responsa rerulit, quid paterfamilias? Nos quidem putamus excusantium verba satis humaniter sonare: sed Christus testatur, quod *paterfamilias iratus* fuerit, & postea dixerit, nullum istorum virorum suam cœnam gustaturum. Ne tamen impensas cœnæ frustra faceret, injungit servo, *ut cito exeat in plateas & vicus civitatis, & pauperes ac debiles, claudosque & cæcos introducat*. Hæc verba dupliciter ab interpretibus accipiuntur: uterque tamen sensus commodus est, nec cum parabola sine pugnat. Alii per eos, qui ex *plateis & vicis civitatis* vocantur, intelligunt abjectos & plebeos Judæorum, qui in una quidem civitate Dei cum Sacerdotibus, Phariseis, scribis & legisperitis habitant: sed ab his tanquam indocti, & qui legem non intelligerent, habebantur pro *cæcis, claudis, debilibus & pauperibus*. Hosce primo ad convivium paratum vocatos esse affirmant. Et sanè si Acta Apostolorum inspicimus, hic sensus cum historia convenit: Apostoli enim Christi non sta-

tim Hierosolymis discesserunt, seque ad gentes contulerunt, sed diu in Judæa manserunt, ibique Christo ex Judæis numerosam Ecclesiam collegerunt, ut Act. 21. v. 20. Paulo dicere potuerint: *Vides frater, quot millia sunt in Judæis, qui crediderunt*. Hi verò omnes respectu magnatum, fuerunt *pauperes & debiles*. Nam etiam Jeseias prædixit cap. 10. v. 22. Si fuerit populus tuus Israel, quasi arena maris, reliquæ tantum convertentur ex eo. Alii verò etiam hanc primam missionem patrisfamilias cœlestis referunt ad gentiles, quod nimirum Christus mox, postquam Judæi seipfos indignos fecere regno Dei, Apostolus suos ablegavit ad gentes. Hoc non pugnat cum rei veritate. Quia tamen hic expressè fit mentio *vicorum & platearum civitatis*, necesse erit, ut per hanc primam legationem, qua vocatæ sunt gentes ad cœnam magnam, intelligamus illas, quæ vel in vicinia Judææ vixerunt, vel inter quos Judæi intermixti habitaverunt. Sicuti passim in Actis audimus, quomodo Paulus in gentium regionibus primo Judæis in Synagogis verbum Dei annuntiavit; Postea autem quando Judæi sese regno Dei indignos fecerunt, se ad gentes converterit. Hæc gentes quasi in *vicis & plateis* Judæorum vixisse videri possunt, quia lex & expectatio Messie enim penitus fuerunt ipsis ignota ob conversationem cum Judæis.

7. Quia verò ex horum adventu, domus convivii non fuit repleta, idèo paterfamilias servum tertio vice ablegat ad *vias & sepes*, & vult, ut hos *compellat intrare*. Per hos nullos alios intelligimus, quam remotos gentiles, & barbaros populos ad finem orbis usque habitantes. Hi verè in viis & post sepes jacuerunt, quia caruerunt legibus, tam divinis quam humanis, quibus civitas aliqua constitui posset. Fuerunt illi, antequam verbum gratiæ illis annunciaretur, incompositis moribus, tanquam illi, qui post sepes habitant. Et quæ ira sunt aperta, nullis muris vel portis munita, illa cuius injuriæ sunt exposita: Sic miseræ quoque gentes mille modis à diabolo fuerunt vexatæ, & sine omni misericordia ad gehennæ exilium tractatæ. De his dicit cœlestis paterfamilias *compelle intrare, ut impleatur domus mea*. Vult cœlestis pater ex singulari gratia, ut nimirum ex barbaris gentibus numerus electorum compleatur. Quid verò est *compelle intrare*? Num homines ad fidem sunt cogendi? Nequaquam; Fides enim non est omnium: sed est donum Dei. Et nisi DEUS hanc ex gratia alicui donat, nemo alius ipsum vi ad fidem adiget: Dat autem Deus fidem per medium prædicati verbi: Rom. 10. v. 17. Ad auditum ergò verbi homines cogi possunt, ut sæpius illud audientes virtute Spiritus sancti ex reluctantibus consentientes, & ex nolentibus volentes efficiantur. Quemadmodum ergò nos solemus, si conyiva alicui neget se adventurum, alterum famulum mittere, & additis rationibus instantius adventum urgere: sic etiam verbi minister & blandiendo & terrendo & promissis & comminationibus instare debet, donec hominem pertinacem vincat. Et hoc est *compelle intrare*. De quo Paul. 2. Tim. 4. v. 2. prædica verbum, instat opportune, importune: argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina. Ad compulsionem etiam illam quidam referunt miraculorum operationem,

tionem, & vitæ in doctoribus integritatem: Neque ineptè; Etenim miracula passim gentes permoverunt (prout in Actis Apostolorum multoties refertur) ut derelicto idolorum cultu, fidem Christi susceperint. Sic honesta & integra docentium vita, fortem stimulum admovet auditoribus, ut & doctrinam attentius audiant, & vitam diligentius imitentur. Hoc compelle intrare, si quis nolit admittere, habet DEUS graviores compulsoriales, nimirum crucem & adversitatem tanquam hamum & frenum, quibus constringit maxillas eorum, quibus non est intellectus, & qui ad Dominum approximare nolunt. Sic Paulus Actor. 9. v. 3. quali per tonitru prostratus nomen dedit Christo, quod alias minimè facturus fuisset. Ex hac compulsione DEI sumunt sibi Pontificii licentiam, duos adhuc cogendi modos assumere. Unum Ecclesiasticum, quando pastores, per Ecclesiasticas censuras homines compellunt: Alterum politicum, quando magistratus per carceres, gladios & ignes inobedientes in ordinem cogunt. At hi duo modi nihil faciunt ad præsentem parabolam. Christus hic de eo agit, quomodo homines, qui agunt extra Ecclesiam, in eam sint colligendi & compellendi. At Ecclesiasticæ censuræ homines in Ecclesia jam viventes, sed in ordinate viventes, extra Ecclesiam ejiciunt. Sic Magistratus, qui gladium & ignem ad cogendos homines adhibet, illos non Ecclesiæ lucrificat, sed ex communi vita exterminat, ita ut jam non supersint, quos compellere possint, ut intrent. Hi igitur modi cogendi nihil ad rem faciunt, licet allegent Augustini autoritatem, qui vel tandem etiam senserit, hæreticos & schismaticos rectè ad fidei & corporis Christi unitatem cogi. Idem tamen Augustinus nunquam probavit, si in hæreticos ad mortem usque sæviatur. Aliud tamen est, si pius magistratus blasphemus vel alios in fide turbantes carcere coercèat, aut etiam secundum leges politicas puniat: Neque enim frustra gestat gladium, sed custos est utriusque tabulæ.

8. Sequitur finalis patrisfamilias decisio: *Dico vobis, quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.* Hæc verba quidam, quali in Christi persona enunciata essent, accipiunt. Nec in eo magnopere errant: Siquidem Christus, tanquam iudex vivorum & mortuorum, & tanquam is, qui hanc cœnam sanguinis sui pretio paravit, optimo jure pronunciare potest, quos ad hanc suam cœnam admittere velit, quos nolit. Sed hæc ipsa etiam convenienter patrisfamilias, qui totum negotium hæcenus rexit, attribui possunt. Etenim continuatione sermo suo indicat, & manifestat suam sententiam, quam de primis invitatis conceperit. Qua indicatur, Judæos, qui primi ad regni DEI communionem vocati erant, prorsus destituendos omni vera DEI cognitione, & à gaudiis regni cœlestis penitus excludendos.

Hic est simplex sensus hujus parabolæ. At verò in hujusmodi divinis doctrinis non sufficit verum sensum loci novisse, sed necesse est, ut nobis etiam applicemus. Et applicatio illa non in genere tantum hæreat, sed ad ipsa individua, unumquemque hominem transferatur. Sicuti videmus Deum ipsum id fecisse in Decalogo. Ibi DEUS ante faciem suam habuit sexcenta millia Israelita-

rum: & tamen ipsis non in genere dixit: Vos non habeatis Deos alienos coram me: sed in individuo: Tu, tu non habebis &c. Sic nimirum DEUS monstrare voluit in omnibus divinis doctrinis, si ve fidem si ve mores concernant, hoc spectandum esse, ut individuis applicentur. Eodem modo in hac parabola non sufficit in genere agnoscere DEI bonitatem, qui cœnam parat, invitat, vocat: non sufficit novisse, esse eorum numerum magnum, qui se excusant, cœnam hanc negligunt, ac proinde eam non gustabunt. Sed unusquisque apud se consideret, an ipse quoque in illa DEI bonitate sit inclusus, & quando per servum vocatur, an ipse quoque se excuset, aut simpliciter dicat, se non posse venire. Et hac in parte verbi ministri diligentes esse debent, ut talia auditoribus suis monstrent, ipsisque applicent. Nos jam hic tantum generalia capita tractabimus.

1. Immensa & ineffabilis DEI bonitas nobis hic consideranda proponitur: DEUS non opus habet ulla creatura. Est enim *יהוה אל* Genes. 17. v. 1. est Dominus *ἀνταρκτός*, sibi ipsi ad omnia sufficiens, rex seculorum immortalis, invisibilis, solus habens immortalitatem, & lucem in habitans inaccessibleem. 1. Timoth. 1. v. 17. & cap. 6. v. 16. Ut tamen bonitatem suam alias notam faceret, duas rationabiles creavit creaturas: Unam, angelos, inter quos illi, qui in integritate perseveraverunt, sunt in cœlis beati, & faciunt verbum ejus, Psal. 103. v. 20. & proinde etiam semper vident faciem patris in cœlis, Matth. 18. v. 20. Alteram, homines, qui per peccatum omnes à DEO defecerunt, & facti sunt inimici & hostes, Roman. 5. v. 10. & cap. 8. v. 7. Potuisset ergò DEUS facile nobis, qui hostes sumus, & mortui in peccatis, carere, seque sufficienter cum angelis recreare. Sed ut divitias bonitatis suæ commendaret, & ostenderet, non ipsius culpa perire, qui pereunt, parat de novo cœnam, ad quam homines invitat. Ita ille, qui per se beatus est, nobis hostibus reparat felicitatem. Et ut amplius intelligamus, quanta ipsius sit bonitas, cogitandum simul, quo cibo hanc cœnam instruxerit: in Psalmo 50. v. 10. dicit: Nonne omnes feræ sylvarum sunt meæ, & jumenta in montibus atque boves? Et in Psalmo 78. v. 23. Aperuit cœli januas, & pluit Israelitis manna ad manducandum, panem cœli dedit eis, & panem angelorum homo manducavit. Sed ex his DEUS non paravit nobis cœnam, (sicuti stulti Judæi talem sibi imaginantur ex Behemoth & Leviathan.) Quia enim fames nostra est spiritualis, cœna etiam talis esse debuit, quæ æternum pararet gaudium & gloriam. Ideò DEUS mactavit proprium filium pro mundi peccatis, Jesaia 53. v. 10. Non pepercit proprio filio, sed pro nobis omnibus illum tradidit, Roman. 8. v. 32. Hujus caro est vere cibus & potus mundi, Joan. 6. v. 55. Eam nos quotidie fide manducamus & bibimus, atque insuper etiam ore haurimus, quoties sacram Domini *σύνθεσις* accedimus. Nam regnum Dei in scripturis ita proponitur, quod nos natura simus egeni, famelici, qui æterna fame & siti contabescere coguntur: si quis tamen esurit justitiam & sitit salutem, hoc est, qui agnoscit, se suis viribus non

non posse consequi salutem, & tamen toto pectore cum hoc conviva gemit: *beatus, qui edet panem in regno Dei*, is veniat ad Evangelium, apprehendat fide Christum crucifixum & passum, is virtute verbi & sacramentorum ipsius cibabitur, & potabitur ad spem vitæ æternæ. Hæc Dei bonitas in nobis desiderium excitare debet, fruendi hac cœna, ut sic cogitemus: Expende jam omnia, quam impense DEUS curet tuam salutem, qui tantum impendit, ut pro nobis hostibus mactaret filium, & ejus carne atque sanguine nos cibet atque potet. Et ego hanc tantam DEI bonitatem non curarem? non desiderarem? Absit ab anima mea hæc labes. Ego nolo me excusare, lubenter veniam & comparebo; quia hospes meus est DEUS, cibus ipse DEI Filius: Spiritus sanctus ministrat: mensa in hac vita est Evangelium gratiæ, in altera erit gloria. David non passus est se diu multumque rogari, & ad hanc cœnam cogi, ipse ultro se convivam obtulit, Psalm. 27. v. 4. Unum petii a Domino, hoc requiram, ut inhabitem in domo Domini, omnibus diebus vitæ meæ, &c. Psal. 48. v. 11. Melior est una dies in atriis Domini super millia.

2. *Servus*, quem Dominus diversis vicibus emittit, vel ut vocaret invitatos, vel ut novos invitaret, præ se fert typum fidelis verbi ministri, cuius unica cura & diligentia esse debet; ut quam plurimos ad cœlestem convivium inducat. Ideo sedulus sit & indefessus, omnia, quæ Dominus ipsi injunxit, exequatur, neminem utcumque debilem vel pauperem negligat, vel indignum putet, cuius curam agat: Pro miserrimo enim rustico filio DEI tantundem sanguinis effudit, quantum pro rege aliquo; operam det, ut domus Domini sui ex undecunque collectis impleatur. Ideo non sit mercenarius, sed vigilanter oculos ad auditores suos circumducatur, ut attendat, an etiam aliqui excusationes præterdant, & ad cœnam accedere nolint. Si Dominus successum largitur prædicationi ejus, cum gratiarum actione eum referat ad Dominum, nec sibi adscribat. Sin homines ad cœnam venire recusent, & illud referat ad suum Dominum, per preces & gemitus ipsi conqueratur. Hi gemitus non sunt inefficaces, sed flagella Domini, provocant, quibus DEUS tales compellit intrare. Ideo Paulus Hebr. 13. v. 17. dicit, si verbi ministri cum gemitu officium faciunt, tum illud auditoribus non expedire, siquidem DEI pœnam provocet.

3. Excusantium personæ nos monent, ne in consimili peccato deprehendamus. Quisque enim ferè apud se cogitat: Ego hanc cœnam non negligam, sed lubens comparebo, quomodo alias factiabor in omnem æternitatem? Si verò quis vitam, & facta singulorum inspiciat, deprehendet, tergiverfantium & excusantium infinitum esse numerum. Nam attende, quomodo DEUS nos vocat? Non voce è cœlo: sed *servum mittit*, hominibus utitur, & per verbum prædicatum vocat; Sed quia multi sunt pseudoprophetæ, qui negant Dominum, qui ipsos mercatus est. 2. Pet. 2. v. 1. Quænam est vera vox? Christus illud indicat, *venite, parata sunt omnia*. Venite, non fugite, ut Adam fecit, Gen. 3. v. 8. Et parata sunt omnia, ita ut non opus sit vestris operibus ista mereri. Ele-

git vos in Christo ante jacta fundamenta mundi, Eph. 1. v. 4. Et paravit non tantum pro nobilibus & magnatibus, si veniunt, sed etiam pro cæcis, claudis & pauperibus. Veniendum autem, hoc est, à peccatis surgendum, iis valedicendum, Christus fide amplectendus, & nova vita inchoanda. Epicuræi quoque libenter salvarentur, sed nolunt surgere à peccatis; qui vero in eodem loco manet, in quo est, ille non venit. Et hinc oriuntur innumeræ illæ excusationes apud homines. Transi per decem præcepta, & juxta illa vulgarem hominum vitam examina, tum excusationes invenies. In primo præcepto requirit DEUS amorem & fiduciam sui præ omnibus: at quam multi magis amant opiniones phanaticorum, quam verbum DEI? præbendas Pontificiorum, quam improperium Christi? Sed quis ab his ipsos revocet? Alii quidem se excusant, quod illos libellos libenter legant ob politioreni literaturam, alii quod egestate compulsi eo se conferant; cum alias non habeant, unde vivant. In secundo præcepto prohibita sunt execrationes. Audis quempiam nomen Domini blasphemare, eum reprehendis, mox se excusat, inquam; Agnosco sanè, me id non debere facere, sed sic fert mea consuetudo. Negligit quis conciones, Sacramenta, monetur; sed hic varia præterduntur excusationes & occupationes, ob quas quis tum venire non potuerit, veniam alio tempore. In quarto præcepto, DEUS, fide, amore, observantia & reverentia superiores & inferiores erga se invicem colligit, in Ecclesia, Politia & Oeconomia: Sed semper inveniunt liberi, subditi & auditores excusationes, ob quas suis præpositis sunt immorigeri. In quinto præcepto prohibet DEUS iram & odium, sed bone DEUS! quando homines semel sunt offensi, quot præterdunt excusationes, antequam reconcilientur. In sexto prohibetur omnis lascivia: Sed hic quisque intra cor suum sibi fingit excusationes, sicut etiam David fecit, qui annum integrum in securitate transiegit. In septimo furta, rapina, usura, & consimiles illiciti contractus prohibentur. Sed quam pauci hos intermittunt? Præterdunt, se habere uxorem & liberos, quos alia ratione alere non possint. In octavo obreftationes & calumniæ prohibentur, sed nihil illis ferè vulgariis: excusant se autem istorum hominum moribus, quod non alia fama digni sint. Hæc sunt specialiores excusationes. In genere autem quam plurimi amore divitiarum, sollicitudinibus vitæ & voluptatibus carnis detinentur, quo minus DEI cœnam adeant: Quapropter exemplo excusantium moveamur, ut caveamus, ne ad eundem lapidem impingamus.

4. In primis gentes, altera parte hujus parabolæ ad gratitudinem erga DEUM excitari debent. Si enim retro cogitemus, qualis majorum nostrorum vita fuerit ante aliquot secula, bone DEUS! quam miseram illam fuisse deprehendemus. In spiritualibus fuerunt sine Christo, alieni à Republica Israelis, hospites testamentorum promissionis, spem non habentes, & sine DEO in hoc mundo, Ephes. 2. v. 12. In politicis sine ordine, sine legibus, sine politia, incompositis & barbaris moribus. Intueamur saltem Indos Orientales, & videbimus ideam eorum, qui in visis & post se pesederunt. Postquam autem Deus misit ad nos servum suum, & per

& per verbum Evangelii nos ad cœnam suam vocavit, illico omnia ad statum feliciorum effluerunt: Nam non tantum vocare jubet DEUS suos convivas: sed etiam *introducere*, hoc est, per spiritum S. est efficax, trahit ad verbum audientes, eos convertit & illuminat, ut novi homines fiant. Imò gentes *compellit intrare*, ut sic suam erga ipsos charitatem declaret. Quia enim libenter vellet, ut ipsius essent convivæ, & cum ipso in æternum deliciarentur; Ideò non tantum beneficiis eos invitavit, finit solem suum oriri super bonos & malos. Matth. 5. v. 45. Sed etiam, quando venire renuunt, in manus sumit malleum legis, quo conterit corda duriora, sicque rem eo deducit, ut ipsi cum Davide dicamus: bonum est mihi, Domine, quia humiliasti me, ut discerem justificationes tuas, Psal. 119. v. 71. Sola enim vexatio dat intellectum auditui. Jesa. 28. v. 19. Quando igitur tales compulsoriales adstant, placidè eas excipiamus, & agnoscamus, hoc modo DEUM æternam nostram salutem procurare. Rectè igitur monuit Paulus Rom. 15. v. 9. debere gentes honorare Deum super misericordia sua. Vide locum. Utique DEUM honorare debemus non tantum verbis, sed etiam facto atque vita, ne nobis gentibus idem accidat, quod Judæis, quos DEUS rejecit, & nos gentes recepit. Si enim DEUS naturalibus ramis non pepercit, vide, ne forte nec tibi parcat. Rom. 11. v. 21. Exemplum hujus rei habemus in florentissimis Ecclesiis, quas Apostoli ipsi Ephesi, Corinthi, Philippis & alibi plantarunt. Diu illæ Ecclesiæ Arrianismo & inutilibus disputationibus Inserunt, donec Mahometismus dominium obtinuit. Romæ quoque non amplius ea habetur fides, quam Paulus ad Romanos commendat. Nos igitur caveamus.

5. Quin & conclusio parabolæ memori men-

te est retinenda; qua paterfamilias inquit: *Dico vobis, quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.* In aliis conviviis interdum jactura non magni æstimatur, si negligantur: siquidem frugi paterfamilias domi panem & caseo contentus esse potest. Sed quod hanc cœlestem cœnam attinet, qui illam negligit, ille esuriat & egebit in omnem æternitatem. 1. in regno gratiæ multi improvisi & subitanei casus accidunt, ut illi, qui multos annos auditum verbi & usum sacrae cœnæ in templo neglexerunt, in extremis nec consolationem ex verbo, nec sacramenti usum percipere possint. Alii repentina apoplexia ex humanis eripiuntur, alii in agro vel aquis pereunt, ut sacris priventur. Et hoc est illud, *non gustabunt cœnam magnam.* Veteres quoque dixerunt: contentiores verbi & sacramentorum, privantur gratia verbi & Sacramentorum.

Quoties quoque evenire solet, ut, qui non necessaria jurgia cum verbi ministris alunt, in extremis nullum ministrum habere possint, ut ejus opera utantur. Omnes prætendunt, DEUS est propitijs, non adeò severe hæc puniet. Omnino est propitijs: sed tamen te ad cœnam venire jussit, & quidem hodie, si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, Ps. 95. v. 8. Et qui spondit tibi peccatorum remissionem, idem tamen diem craftinum tibi non spondit. 2. In regno gloria major talium erit miseria; quod videmus in divite epulone, cui jam per sedecim ferè secula non datum est, ut gustaret guttam aquæ, Luca 16. v. 24. Quid igitur tales gustabunt? flammam ignis ardentis cum pice & sulphure: gustabunt æternam mortem, vermibus eorum non morietur, & ignis eorum non exstinguetur, & erunt abominatio omni carni, Jesa.

66. vers. ult.

## CAPUT CXX.

### CONTINENS CONCIONEM CHRISTI IN VIA, QVIS IDONEUS SIT IPSIUS DISCIPULUS.

LUCÆ 14. v. 25.

#### RATIO ORDINIS.

**H**ic mihi Christus ex patria discessisse, & in Judæam transiisse, videtur, ut & ibi Ecclesias visitet: Quia enim multæ turbæ iverunt cum ipso, utique ipse quoque ivit. Solitæ autem sunt turbæ ipsum majori numero sequi, si quando alicubi ad tempus substiterit, & postea novam migrationem ipsum instituere animadverterunt. De ordine igitur hic disputare velle, supervacaneum est. Nos simpliciter Lucæ ordinem sequimur. Illud vero obiter monere lubet. Quia in superioribus diximus, Christum in hac ultima sua profectio-

& Ecclesiarum visitatione multa conciones, quas superioribus annis habuerat, repetiisse. Ideò etiam interdum attendere decet, quam sint illæ doctrinæ, quas repetiit. In præcedenti capite repetiit doctrinam de sabbatho; concionatus est de humilitate adversus superbiam: In parabola cœnæ rursus docuit abjectionem Judæorum, & vocationem gentium. In hoc capite rursus proponit, ut omnes illi, qui se sectari volunt, meditata habeant omnia, quæ vel per crucem, vel per persecutionem ipsis accidere possint.

DI-